DE M. TERENTI VARRONIS LIBRIS GRAMMATICIS

SCRIPSIT

RELLIQVIASQVE SVBIECIT

AVGVSTVS WILMANNS

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXIIII

FRIDERICO · RITSCHL

OTTONI · IAHN

PRAECEPTORIBVS

AMORIS · CAVSA

PRAEFATIO

Cum per tempus aliquod uersato in conligendis et disponendis relliquiis Varronianis specimen studiorum mihi proponendum esset, elegi libros grammaticos; nam eos commode ceteris neglectis tractari et singulorum argumentum paullo quam adhuc factum est accuratius circum scribi posse intellegebam. dispositionem et indolem horum librorum indagare contentus neque uniuersam Varronis grammaticam theoriam explicare studui, quae res necessaria et magni momenti ad cognoscendam historiam grammaticae antiquae nitatur in libris V—X de lingua latina nunc a meo consilio alienis, neque in singulis locis inlustrandis omnia quae cum his coniuncta fuisse coiceres congerere, sed in certis testimoniis acquiescere uolui. exclusi uero libros, in quibus praeter alia grammaticae quoque obseruationes legebantur, quales epistolicas quaestiones fuisse scimus, et mera ueriloquia, larga manu ubique a M. Terentio sparsa, quae ex aliis libris repetita sunt.

In componendis relliquiis antiquam librorum formam quantum fieri potuit restitui, ut et singulas libris e quibus sumptae esse uiderentur tribuerem, et pristinum ordinem reuocarem. asterisco signaui fragmenta, quibus Varronis nomen ab auctoribus non adponitur. duas relliquiis subieci adnotationes. altera perscripsi eos scriptorum locos ad eandem Varronis expositionem referendos, qui ad probandam disputationem meam et ordinem singulorum fragmentorum reconcinnandum alicuius sunt momenti. altera ad criticam spectat; qua in re hanc mihi inposui legem, ut quae in codicibus leguntur religiose adnotarem, Putschii

et aliorum, quorum exemplaria in omnium manibus sunt, nomen singulis locis facili negotio saepe emendatis non semper adscriberem. ut autem paullo emendatiora haec fragmenta prodeant praesertim Henrici Keili liberalitati mea laude maiori debetur, a quo facile Hermannus Vsener inpetrauit, ut quae ad Varronis locos in grammaticis latinis obuios adnotauerat meum in usum describere sibi liceret. de quibusdam uero locis ipse Keilius benigne certiorem me fecit. praeterea Vsener Bernae duos Augustini de dialectica libros nitidissime mihi contulit et multos aliorum scriptorum locos a me rogatus inspexit. Seruianorum locorum lectiones Georgius Thilo liberalissime mecum communicauit. alias alii me instruxerunt quos suo quemque loco nominaui. ne autem quidquam, quod aliis debetur taceam, conmemorandum est Vseneri et Curti Wachsmuthi amicorum beneficium, qui me in Italiam profecto non solum plagularum accuratissime corrigendarum taedium susceperunt uerum etiam conplures locos medicina egentes felici sagacitate emendauerunt. quibus omnibus gratias ago lectoresque mecum agent.

Romae in Capitolio mense Iulio 1864.

TABVLA DISPVTATIONIS

In Hieronymi catalogo omnis quaestionis de libris Varronianis fundamento (cf. F. Ritschl d. schriftstellerei des M. Terentius Varro in nou. mus. Rhen. VI p. 481 sq. XII p. 150) hi tituli grammatici enumerantur: de lingua latina libri XXV, epitome de lingua latina e libris (X)XV libri VIIII, de sermone latino libri V, de origine linguae latinae libri III, de similitudine uerborum libri III, quibus accedit liber disciplinarum de grammatica. praeterea occurrunt apud grammaticos liber II de antiquitate litterarum (Prisc. I p. 7 Hertz), libri ad Attium (Pompei. comm. art. Don. p. 9. 27), liber IIII de utilitate sermonis (Char. p. 123 K.).

I

Libros de lingua latina fuisse XXV et praeter quattuor priores (cf. de l. l. V 1 M. p. 12 Sp.) ad Ciceronem ut Caesaris de analogia opus scriptos esse constat, illud ex Hieronymi indice et seuerae dispositionis lege qua Varro non solum in his libris utebatur [1]) (cf. Ritschl nou. mus. rh. VI p. 525), hoc e Ciceronis Academ. post.

1) cf. praeter libros de re rustica de antiquitatum libris Augustini de ciu. dei VI 3, fr. antiquitatum human. lib. XX ap. Non. quadrifariam p. 92, fr. de uita populi Romani lib. I ap. Non. uictuis p. 494.

I 1, 2, ep. ad Attic. XIII 12, 3 (cf. O. Muelleri praef. Varr. p. III), e librorum de lingua latina V—X codice Florentino initio libri III et in fine libri VIIII (p. 3. 542 Sp.), e multis grammaticorum ueterum testimoniis. Libro primo, quem num Septimio miserit scriptor cum libris II III IIII incertum est, quasi prooemio praemisso, reliqui XXIIII libri quattuor effecerunt hexades, quarum prima etymologiam, altera declinationes, tertia et quarta syntaxin tractabant (l. l. VII 110 p. 390, VII 1 p. 391). infra reiectis quae de singulis libris priorum hexadum dicenda sunt, primum de posterioribus hexadibus agam. duobus enim locis s. s., quibus totius operis dispositionem proponit, Varro profitetur tertia parte se disputaturum esse (VII 110 p. 390) *quemadmodum uocabula coniungantur*, et (VIII 1 p. 391) *ut uocabula inter se ratione coniuncta sententiam efferant*, quae quamquam certissimum ipsius scriptoris de consilio suo testimonium continent, tamen de omnibus duodecim libris accipere dubitabant uiri docti. incredibile enim uidebatur, tam multos libros ei doctrinae destinatos fuisse, cuius tam exigua uestigia in grammaticis latinis inuenirentur, quam solus Priscianus multo posterioris aetatis scriptor diligentius explicaret, ipse Apollonium secutus Hadriani aequalem, qui primus omnium hanc prouinciam ad artem et praecepta reuocasset. accedebat, quod Varro neque in scribendi genere neque in eis quae occasione data de huiusmodi rebus monuit, magnum subtilioris syntaxis studium ostendit, et quod, fere ubique ad res et facta siue ad historiam gentium et litterarum siue ad naturam spectent intentus et singula conponere atque ex his iudicare solitus, eandem rationem in rebus grammaticis adhibuisse putabatur. parum profecto consentaneum uidebatur talem scriptorem disciplinam tantis difficultatibus obstrictam quasi constituisse et condidisse. neque hoc fecit, id quod apparebit, si breuiter qua conditione Varronis tempore studia grammatica fuerint in memoriam reuocauerimus.

Alexandrinorum grammaticorum et Pergamenorum studia artissime cum arte critica conexa erant. ut de singulis poetarum locis iudicare possent, leges quae linguam regerent perscrutabantur et deliberationes suas in poetarum commentariis uariisque dissertationibus perscribebant, et hoc modo immensa materia multorum sagacitate et diligentia paullatim pertractata uberrimum thesaurum singularum obseruationum de uerborum ui origine declinatione coniunctione coaceruabant. ab his profecti singulas quaestiones ordine et in artis modum exponebant [1]). scripsit iam Aristophanes Byzantius de analogia [2]), Apollodorus Atheniensis Aristarchi discipulus (Suid. *Ἀπολλόδωρος*) *περὶ ἐτυμολογιῶν* (Athen. XI p. 483 A. II p. 63 D. al.) eiusque aequalis Demetrius Ixion *ἐτυμολογούμενα* (Athen. III p. 74 B.

---

1) Hoc loco haec tetigisse et contrariam rationem Alexandrinorum et stoicorum significasse satis est. qua in re quanti momenti ad studia grammaticorum philosophorum inuenta fuerint, me non fugit. sed haec ut omnia longiora praetermittenda erant.

2) cf. A. Nauck Aristoph. Byz. fragm. p. 267. Charisii locum p. 116 *specialis (analogia) est, quae spectatur nunc in rebus nunc in dictionibus* (Christ münchn. gel. anz. 1859 p. 221 e Donatiano, *rationibus* cod. Neap.) *occupata; cui Graeci modum istius modi condiderunt ἀναλογία ἐστὶν συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων ἐν λέξει. huic Aristophanes quinque rationes dedit uel ut alii putant sex; primo ut eiusdem sint generis de quibus quaeritur, dein casus, tum exitus, quarto numeri syllabarum, item soni* uereor ut recte Curtius Wachsmuth meus de Cratete Mall. p. 11 explicuerit. genus enim etiam in Varronis loco quem confert X 21 p. 556 ex Ed. Luebberti emendatione (thes. V quaest. pontif. adn.) id est quod M. Terentius interdum sexum uocat. casus autem licet a Varrone nonnunquam generaliter positum sit, a Romano multo posteriore nec indocto scriptore, cui haec Charisius debet, hoc modo usurpari non potuit si intellegi uoluit. reliqua cum generalia sint et Varro quoque l. s. de nominum tantum analogia loquatur, nullam dubitationem mouent, de eadem (cf. Varr. de l. l. VIII 13 p. 401) Aristophanum egisse; quod si huius disciplinae progressus spectas, non nullius momenti est.

al.), Dionysius Thrax, hic quoque Aristarcho praeceptore usus (cf. M. Schmidt philol. VII p. 366 sq.) τέχνην γραμματικήν. primis lineis ductis uarios poetas et dialectos diuersas percensebant et uerborum classes loquendique formulas separatis libris explicabant subtilioremque ita et certiorem earundem quaestionum tractationem incipiebant, quam adsidua scriptorum peruestigatione amplificare studebant. postremo ut rei natura ferebat, syntaxin adgressi sunt neque ante magnum Apollonium quisquam totum argumentum conplexus est. nam Tryphon eiusque discipulus Habron, uterque ab Apollonio haud raro laudatus uel potius inpugnatus, quorum ille Varronis fere aequalis erat (cf. A. de Velsen Tryph. gramm. fragm. p. 1. 33) non nisi de singularum orationis partium constructione scripserunt: Tryphon de articulis aduerbiis coniunctionibus participiis praepositionibus pronominibus personis [1]), Habron de pronomine (Apoll. de synt. p. 60. B.). Ab Alexandrinis igitur grammaticis Varro, quorum opera eum diligenter tractasse testantur libri de lingua latina, qui ad nos peruenerunt, nec consilium neque argumentum syntaxis suae re-

---

1) De singulis Tryphonis libris recte iudicauit A. de Velsen l. l. p. 24 sq. Qui praeterea de his rebus scripserunt post Varronis, immo Apolloni tempora uixerunt, ut de Herodiano (cf. Michael Syncellus in Bachmanni anecd. gr. II p. 424 cl. E. Egger Apoll. Dyscole p. 234) taceam, Telephus Crateteus, qui teste Suida περὶ συντάξεως λόγου Ἀττικοῦ βιβλία έ edidit, post Augustum floruit (cf. Preller ztschr. f. alterthw. 1837 p. 499) et L. Veri praeceptor fuisse uidetur (Iul. Capitol. Veri 2. Ebert dissert. Sic. I p. 147), et Arcadius Antiochenus, Herodiano inferior (Choerob. Bekk. anecd. gr. III p. 1193), qui περὶ συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν scripsit. reliqui praeter Byzantinos grammaticos (de quibus Egger l. l. p. 234. 265) rhetores posterioris aetatis erant, ut Gaianus Arabs Theon Alexandrinus Pausanias Caesariensis (Suid.), qui uestigia Dionysi Halicarnasensis et auctoris libri περὶ ὕψους, qui duos libros περὶ συντάξεως conposuit, (π. ὕψους 39, 1) sequebantur.

petere potuit, licet Tryphonis scripta in usum suum conuerterit, quod neque adfirmari nec negari potest.

Prorsus diuersa ratione stoici in grammaticis studiis uersabantur (cf. I. Classen de gramm. gr. primord. p. 72 sq. R. Schmidt stoicorum gramm. C. Prantl gesch. d. logik I p. 414 sq. H. Steinthal gesch. d. sprachw. b. d. Griech. u. Roem. p. 278 sq.), quippe qui a philosophia profecti uniuersam hanc disciplinam ad dialecticam referrent, idcircoque a principio ad leges generales quae de lingua ualerent animum intenderent. dialectica eis secundum Posidonium *ἐπιστήμη ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων* (Laert. Diog. VII 62) erat itaque praecipuas quoque grammaticae partes etymologiam declinationes syntaxin, cum linguam tamquam subsidium cognitionis haberent, explorabant quatenus ad uerum percipiendum spectarent. loqui ergo cum *τὸ τὴν τοῦ νοουμένου πράγματος σημαντικὴν προφέρεσθαι φωνὴν* (Sext. Emp. adu. math. VIII 80 cf. Augustini uerba princ. dial. V *loqui est articulata uoce signum dare*) acciperent, inde consecuntur quae de etymologia (cf. Orig. contra Cels. I 24) et anomalia, cui patrocinabantur (Varr. de l. l. IX 1 p. 456) docebant. syntaxin, illa dialecticae cum grammatica coniunctione posita, tam arte cum praeceptis de iudiciis et conclusionibus datis coniunxerunt, ut nullum fere inter utramque discrimen seruarent (cf. Prantl l. l. p. 442). duobus prioribus nunc missis, de quibus uiri docti supra laudati bene meruerunt et mihi hic illic infra dicendum est, breuissime syntaxeos diuisionem in primis Laertium Diogenem secutus (VII 55 sq.) percurram. prae ceteris autem in hac re excelluit Chrysippus 'homo acutissimus', cuius dialecticam dignam quae deorum esset putabant. mirabili nimirum usus adsiduitate uel potius insatiabilitate scribendi plus trecentis libris, quorum indicem apud Laert. Diog. VII 189 sq. habes, singulos locos solius dialecticae inlustrauit, quorum plurimos ne dicam omnes, cum tota haec dialectica e grammaticis rationibus penderet, non

minus ad dicendi quam ad cogitandi syntaxin pertinuisse in propatulo est.

Duas igitur fecerunt partes dialecticae, quae secundum Senecam (epist. 89, 9) proprietates uerborum exigit et structuram et argumentationes, ne pro uero falsa subrepant, *τὸν περὶ τῆς φωνῆς ἢ τῶν σημαινόντων τόπον*, quo de uoce de litteris de uocabulis eorumque pronuntiatione de orationis partibus de rhythmis de poematis de uirtutibus uitiisque orationis agebatur (L. D. VII 44. 55 sq.), alteram quae ad nos nunc pertinet *τὸν περὶ τῶν πραγμάτων ἢ τῶν σημαινομένων τόπον*, qui praeter *τὸν περὶ τῶν φαντασιῶν τόπον* (L. D. VII 43) conplectebatur *τὸ λεκτὸν*, quod ab Ammonio (ad Aristot. *π. ἑρμ.* p. 100[a] Br.) *μέσον τοῦ τε νοήματος καὶ πράγματος*, a Sexto Empirico (adu. math. VIII 70. cf. L. D. VII 73) *τὸ κατὰ λογικὴν φαντασίαν ὑφιστάμενον* explicatur. erant autem *τὰ λεκτὰ* aut *ἐλλιπῆ* aut *αὐτοτελῆ*. *ἐλλιπῆ* enuntiata erant ea, quae e solo uerbo, quod nominatiuum ut plenum uel *αὐτοτελὲς* fiat requirit, constant ut *περιπατεῖ* (L. D. VII 63) eademque et *κατηγορήματα* et *συμβάματα* adpellabant, quibus praeter hoc simplex *κατηγόρημα*, uerbum intransitiuum ut nostris terminis utar casu obliquo non egens, etiam transitiuum uerbum adnumerabant sine accusatiuo positum, *ἔλαττον ἢ κατηγόρημα*, et duas uerborum inpersonalium classes, alteram quae unum casum obliquum poscit ut *μεταμέλει* (sc. *Σωκράτει*) *παρασύμβαμα* siue *παρακατηγόρημα*, alteram quae duos casus obliquos postulat, ut *μέλει* (sc. *Σωκράτει Ἀλκιβιάδους*) *ἔλαττον ἢ παρασύμβαμα*.[1]) huic loco tribuebant

---

1) In his secutus sum Porphyrium ap. Amm. in Arist. *π. ἑρμ.* p. 104[b] Br. et Apoll. d. synt. I 8 p. 31 B. III 32 p. 299. de pronom. p. 146. cf. Lucian. uit. auct. 21. R. Schmidt l. l. p. 64. Prantl l. l. p. 439 sq. Steinthal l. l. p. 298. Suidas u. *σύμβαμα* nescio quem exscripsit non accuratius quam u. *κατηγόρημα* Laertium Diog. VII, 63 sq., in quo ipso lacunam esse diu intellectum est. Priscianus uero

cum uniuersam de uerborum generibus et speciebus doctrinam, tum casuum obliquorum, qui cum uerbis coniunguntur explicationem (L. D. VII 64 sq. Schmidt l. l. p. 57 sq.). in plenis enuntiatis ἀξιώματα ponebant. ἀξίωμα δέ ἐστιν ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἢ ψεῦδος ἢ πρᾶγμα αὐτοτελὲς ἀποφαντὸν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ ἢ καταφαντόν, ὡς ὁ Χρύσιππός φησιν ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ὅροις· οἷον ἡμέρα ἐστί, Δίων περιπατεῖ (L. D. VII 65). haec iterum aut simplicia aut conposita esse existimabant (L. D. VII 68. Sext. Emp. VIII 93.) simplicibus adnumerabant ἐρώτημα πύσμα προστακτικὸν ὁρκικὸν ἀρατικὸν ὑποθετικὸν ἐκθετικὸν θαυμαστικὸν ἐπαπορητικὸν πρᾶγμα ὅμοιον ἀξιώματι, quorum definitiones leguntur ap. L. D. VII 66 sq. Ammon. ad Aristot. π. ἑρμ. p. 96[a] Br. Geo. Choerob. p. 1178 B. p. 739 Gaisf. Anonym. Coisl. p. 93[a] Br. praeterea simplicium ἀξιωμάτων erant alia ἀποφαντικὰ κα-

---

XVIII 4. II p. 211 H., qui quidem locus tam turbatus est, ut neque a librariis ita corruptum neque a scriptore rem tam male perspectam esse, sed lectorem eumque non optime doctum haec adiecisse crediderim, ita scribit: 'et sciendum quod has quidem constructiones quae per nominatiuum absoluuntur, stoici ἀξιώματα uel συμβάματα, id est dignitates uel congruitates, uocabant, ut ego Priscianus scribo, Apollonius ambulat, Plato philosophatur, illas uero quibus transitiones ab alia ad aliam fiunt personam, in quibus necesse est cum nominatiuo etiam obliquum aliquem casum proferri, παρασυμβάματα dicebant, hoc est minus quam congruitates, ut Cicero seruat patriam, quando uero ex duobus obliquis constructio fit, ἀσύμβαμα id est incongruitatem dicebant ut placet mihi uenire ad te, siue nominibus ipsis tamen seu uerbis hoc exigentibus.' uides hic non solum axiomata et συμβάματα confundi, uerum etiam transitiua uerba (de genere loquendi cf. XIII 23 p. 15 H.) cum nominatiuo et accusatiuo, quae axiomata sunt, παρασυμβάματα dici. praeterea tertiae constructionis, quando ex duobus obliquis fit, exemplum nullo modo aptum est, expectares *pudet me illius*, uel tale quid. ceterum dummodo tali loco aliqua fides habenda esset, a quibusdam stoicorum ἀσύμβαμα quod ab aliis ἔλαττον ἢ παρασύμβαμα dictum est, quod eo est incertius, quia appellatio pessime in rem quadrat.

ταγορευτικὰ κατηγορητικὰ ὑπεραποφαντικὰ ἀρνητικὰ στερητικὰ (L. D. VII 69), alia ὡρισμένα ἀόριστα μέσα (Sext. Emp. VIII 96 sq.). tractarunt igitur in hac parte modos et formulas loquendi ut interrogationem et adhortationem, inter utrumque quidem non magis distinguentes, quam Protagoras fecerat (cf. L. Spengel art. script. p. 44), deinde affirmationes et negationes, enuntiata finita et infinita. Composita axiomata secundum coniunctiones, quibus formantur (cf. C. F. Iahn grammaticor. graec. de coni. doctr. p. 19 sq.) diuidebant, quorum praecipua haec erant τὸ συνημμένον (εἰ) τὸ παρασυνημμένον (ἐπεί) τὸ συμπεπλεγμένον (καί καί) τὸ διεζευγμένον (ἤ ἤ) τὸ αἰτιῶδες (διότι) τὸ διασαφοῦν τὸ μᾶλλον (μᾶλλον ἤ) τὸ διασαφοῦν τὸ ἧττον (ἧττον ἤ) L. D. VII 69. 71 sq. Postremo sequebatur expositio τῶν λόγων καὶ συλλογισμῶν, quorum 'ingentem diuisionem' (L. D. VII 76 sq. Seneca l. l.) excribere longum nec necesse est; nam id quod uolui satis elucere confiteor, stoicos magna cum subtilitate argutaque sagacitate de his rebus disputasse uberrimamque materiam hoc argumentum tractantibus congessisse. Vnum adicio Dionysi Halicarnasensis locum ita scribentis de comp. uerb. IIII p. 70 Sch. (cf. V p. 84): Ἔγωγ' οὖν, ὅτε διέγνων ταύτην τὴν ὑπόθεσιν, ἐζήτουν εἴ τι τοῖς πρότερον εἴρηται περὶ αὐτῆς καὶ μάλιστα τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς φιλοσόφοις, εἰδὼς τοὺς ἄνδρας οὐ μικρὰν φροντίδα τοῦ λεκτικοῦ τόπου πεποιημένους· δεῖ γὰρ αὐτοῖς τἀληθῆ μαρτυρεῖν. οὐδαμῇ δὲ οὐδὲν ὑπ' οὐδενὸς εὑρὼν τῶν γοῦν ὀνόματος ἠξιωμένων οὔτε μεῖζον οὔτε ἔλαττον συναχθὲν εἰς ἣν ἐγὼ προῄρημαι πραγματείαν· ἃς δὲ Χρύσιππος καταλέλοιπε συντάξεις διττὰς ἐπιγραφὴν ἐχούσας 'περὶ τῆς συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν' οὐ ῥητορικὴν θεωρίαν ἐχούσας, ἀλλὰ διαλεκτικήν, ὡς ἴσασιν οἱ τὰς βίβλους ἀνεγνωκότες, ὑπὲρ ἀξιωμάτων συντάξεως ἀληθῶν τε καὶ ψευδῶν, καὶ δυνατῶν καὶ ἀδυνάτων, ἐνδεχομένων τε καὶ μεταπιπτόντων καὶ ἀμφιβόλων καὶ ἄλλων τινῶν τοιουτοτρόπων, οὐδεμίαν οὔτε χρείαν οὔτ' ὠφέλειαν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις συμβαλλομένας, εἰς γοῦν

ἡδονὴν καὶ κάλλος ἑρμηνείας, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι τὴν σύνθεσιν· ταύτης μὲν τῆς πραγματείας ἀπέστην κτλ. quibus uerbis cum dialecticam stoicae syntaxeos rationem [1]) cognoscimus, tum illo tempore unicuique qui de uerborum constructione siue rhetor siue grammaticus scribere uellet, primum doctrinam stoicorum in mentem uenire, illorum praecepta circumspici, ab illorum studiis omnes huiusmodi quaestiones proficisci.

Videamus nunc, paucis de Varronis philosophia praemissis, quae ratio inter Alexandrinorum et Stoicorum grammaticam et libros de lingua latina sit. Varro erat auditor et familiaris Antiochi Ascalonitae (Cic. Acad. post. I 3, 12. 4, 13), cuius placita postea quoque probauit (Cic. epist. ad Att. XIII 12, 3. 16, 1) extremisque uitae lustris diligenter exposuit [2]) (Augustin. de ciu. dei XVIIII 3, 2).

---

1) Praeterea Dionysi loco euincitur, et illos Chrysippi libros de rhetorica non egisse (rhetoricam uero stoici ad dialecticam referebant L. D. VII 41), et si Dionysium bene elegisse credimus quod in conscribendo opere adhiberet, in aliis quoque libris hanc a Chrysippo esse neglectam, quod in plerisque factum esse index ille confirmat Laertianus.

2) Non recte L. Krahner de Varronis philos. p. 3 Ciceronem illius libro de philosophia (Augustin. l. l. XVIIII 1, 1) usum esse et academicorum sententias illius uerbis introduxisse sibi persuasit. nam primum si res ita esset, Cicero Acad. post. I 1, 3 dicere non potuit *quaero cur cum multa scribis genus hoc praetermittas*, de rebus philosophicis loquens; deinde Varro apud Ciceronem I 2, 8 saturas laudationes antiquitatum prooemia perhibet, nihil de philosophico quodam libro memorat; denique nonnisi ita fere ut l. l. I 2, 4 sq. Varro exponit de philosophia et his rebus latine scribendis re uera cogitauit, aptus erat cuius exemplo Cicero ciues suos meliora edoceret. accedit, de quo optime A. B. Krische ueb. Ciceros Acad. in Goetting. stud. 1845 p. 175 iudicauit, quod fragmentum ex illo Varronis libro ab Augustino seruatum libro Tulliano de finibus quinto respondet, post annum igitur 709 scriptum esse oportet (cf. N. Madvig praef. Cic. de finib. p. LVIIII).

Ciceronem qui academica et epistulas modo laudatas a. u. DCCVIIII scripsit acriter inpugnat O. Mueller praef. Varr. p. V sq., quod ne conpertum quidem habuerit, Varronem ex Antiochi academia in stoam transmigrasse, cuius philosophiam in libris de lingua latina eodem tempore conscriptis fere ubique secutus sit. quod parum considerate posuit. M. Tullium enim, licet antiquorum philosophorum graecorum sententias paullo neglegentius et cuiuis proximo scriptori se dedens exposuerit (cf. F. Schleiermacher kritik d. sittenl. p. 157. A. B. Krische forsch. in alt. phil. I p. 33. 444 sq.) de amici et condiscipuli (R. Kuehner Cic. in phil. mer. p. 38) sensu et cogitandi ratione tam grauiter errasse idque publice professum esse, nemo credet, qui magnum discrimen inter scholas illas fuisse putet. Antiochus uero, Philonis qui ipse stoicis nonnulla concesserat auditor, nouae academiae placitum nec sensibus nec ratione cognosci et perspici quidquam ab hominibus posse diu sustinuit ac defendit, deinde de eiusdem infirmitate et peruersitate 'omnium philosophorum concursu' conuictus, stoicorum decreta de conprehensione et adprobatione, ut Ciceronem κατάληψιν et συγκατάθεσιν uertentem sequar, adsumpsit (cf. Krische l. l. p. 166 sq. Grysar d. academik. Philo u. Antioch. p. 25) et hanc uiam ingressus eo usque processit, ut non solum Chrysippeam dialecticam toto pectore amplecteretur (Cic. acad. post. II 46, 143), uerum etiam 'si perpauca mutauisset, germanissimus stoicus' fuisset (Cic. l. l. 43, 132. Sext Emp. hyp. Pyrrh. I 235). nempe in philosophiae parte morali sibi constitit (Cic. l. l. 43, 133), in dialecticis autem non potuit stoicis primas non deferre, quorum placita etiam in physicis probasse uidetur. cuius uiri auditorem fidelemque sectatorem cum Varronem fuisse constet, minime mirum esse adparet, quod et in reliquis scriptis (cf. L. Krahner l. l. p. 8 sq. grundl. z. gesch. d. verf. d. röm. staatsrel. p. 51. C. H. I. Francken fragm. Varr. quae inuen. in libr. S. August. de ciu. dei p. 160) multa stoam redo-

lent et in libris de lingua latina, quorum pauca memorasse sufficiat. cum eis quae ibi leguntur de loco (V 14 p. 24) conferas Zenonem apud Stob. ecl. phys. I 19, 1, de tempore (VI 3 p. 186) Apollodorum apud Stob. l. s. I 9, 42, de igni (V 70 p. 76) Chrysippum apud Plut. de stoic. repugn. p. 1053 A, de motu solis (VI 4 p. 186 sq.) Zenonem apud Stob. l. l. I 26, 3, de animae partibus (VIIII 30 p. 476) Laert. Diog. VII 110. 157, quibus conlatis haec e stoicorum mente scripta esse uidebis, et sic multa (cf. V 59 p. 64 sq.) quae ad rerum naturam spectant. perinde non pauca ne dicam omnia ex eorum dialectica Varronem sumpsisse quae modo de Antiocho disputaui docent; in rebus grammaticis eum saepe ab eisdem pendere, itidem exemplis quibusdam ostendam. Chrysippus inter nomina et uocabula distinxit (Laert. Diog. VII 57 sq. cf. G. Schoemann lehre v. d. redeth. p. 79), stoicorum nescio qui pronomina cum articulis articulos, illa finitos hos infinitos, adpellauerunt (Apollon. de pron. p. 48); utrumque habet Varro VIII 45 p. 424, quorum alterum parum ad linguam latinam accommodatum esse uides. stoicos secutus quinque casus (VIII 16 p. 403) [1])

---

1) Verba sic leguntur in codice Florentino quantum sciamus *propter eorum qui dicuntur sunt declinati casus, uti is qui de altero diceret, distinguere posset cum uocaret cum daret cum accusaret, sic alia eiusmodi* (Sp., *eiusdem* F) *discrimina, quae nos et Graecos ad declinandum duxerunt. sine controuersia sunt quinque.* legendum *propter eorum qui dicunt naturam* (DICVNTVR pro DIC̃NATVR̃.), cum haec superioribus 14 p. 402 respondeant *in sua discrimina declinantur (nomina) aut propter ipsius rei naturam de qua* (*quo* F) *dicitur, aut propter illius, qui dicit. propter ipsius rei discrimina aut ab toto aut a parte* c. q. s, quo loco breuiter tractato ad alteram declinationum causam, illius qui dicit naturam transit. aliter statuit G. Schoemann l. s. p. 13 n. 2. secuntur haec *quis uocetur ut Hercules, quemadmodum uocetur ut Hercule, quo uocetur ut ad Herculem, a quo uocetur ut ab Hercule, cui uocetur ut Herculi, cuius uocetur ut Herculis.* mirabere non quinque sed sex casus pro-

eorumque primum rectum posuit (VIII 4 p. 393 cf. R. Schmidt l. s. p. 58) et ab eisdem temporum uerbi descriptionem (VIIII 97 p. 529 sq.) mutuatus est (cf. Herm. Schmidt doctr. temp. uerbi gr. et lat. I p. 14. R. Schmidt l. l. p. 68). sed nec talia neque uestigia quaedam intimae dialecticae stoicae (cf. VI 56 p. 232 cl. Prantl l. s. p. 438. 519. X 59 p. 578. L. D. VII 53) ut recte de libris nostris iudicemus sufficiunt. nam stoici in multis rebus grammaticis auctores erant, quorum inuenta omnes grammatici probarent et Varronem in his rebus in uniuersum eorum praeceptis obtemperasse supra uidimus.

Rationem et consilium totius operis perpendentibus longius nobis progrediendum est. quod ad argumentum attinet, eas quaestiones tractandas M. Terentius sibi sumpsit, quae ad interiores linguae leges spectant etymologiam declinationes, quo uocabulo et declinationem proprie dictam et coniugationem et uocabulorum deriuationes conprehendit, constructionem easque ita explicare uoluit, ut et principia generalia diligenter examinaret et singula secundum ea, quae uera esse sibi persuasisset, persequeretur. quem in finem singulas hexades in triades diuisit, quarum prima leges generales, altera copiam uerborum percenseret. quod quamquam de prioribus tantum constat nescio an de omnibus probabile sit. hoc consilium adparet non minus ad philosophos quam ad grammaticos pertinere scriptoremque utriusque partis disputationes suum in usum

---

ferri, quod eiectis uerbis *a quo uocetur ut ab Hercule* tollere uoluerunt, sed haec omnia expellenda sunt. primum enim haec casuum explicatio nulla ratione cum altera *cum uocaret, cum daret, cum accusaret* coniuncta et a Varrone aliena et per se absurda est, deinde hoc loco non de eo qui *uocetur* agi debuit, sed de eo qui *vocet*, propter cuius naturam casus declinati sunt, denique duplex haec casuum enumeratio ab hoc loco quo breuissime summam rerum perstringit abhorret.

conuertisse exspectari potest.[1]) et profecto in libris de lingua latina qui extant stoicorum praecepta eo modo memorantur, uel significantur, ut omnis dubitatio tollatur. Priore triade hexadis primae, quae de etymologia est, cum priuati simus, tamen ex altera stoicorum placita illic quoque fundamentum fuisse efficitur. scribit enim Varro V 7 p. 18: *nunc singulorum uerborum origines expediam, quorum quatuor explanandi gradus. primus is* (Muell. *in* F.) *quo etiam populus uenit, quis enim non uidet, unde aurifodinae et uiocurus? secundus quo grammatica ascendit antiqua, quae ostendit, quemadmodum quodque poeta finxerit uerbum, quod confinxerit, quod declinarit. hic Pacuui 'rudentum sibilus', hic 'incuruiceruicum pecus', hic 'chlamyde clypeat brachium'. tertius gradus, quo philosophia ascendens peruenit atque ea quae in consuetudine communi essent aperire coepit, ut a quo dictum esset oppidum uicus uia. quartus ubi est aditus ad initia rerum* (Vertran. *regis* F.), *quo si non perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor, quod etiam in salute nostra nonnunquam facit cum aegrotamus medicus. quodsi summum gradum non attigero, tamen secundum non praeteribo, quod non solum ad Aristophanis lucernam sed etiam ad C l e a n t h i s lucubraui.* et VI 1 p. 183: *in hoc (libro) dicam de uocabulis temporum et earum rerum, quae in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo ut sedetur ambulatur loquontur. atque si qua erunt ex diuerso genere adiuncta, potius cognationi uerborum quam auditori calumnianti geremus morem. huius rei auctor satis mihi C h r y s i p p u s et A n t i p a t e r et illi in quibus, si non tantum acuminis at plus*

---

1) Varronem plerumque graecos scriptores secutum esse iam perspexit, licet rem immodice auxerit, Christoph. Mylaeus, qui de scribenda uniuersitatis rerum historia (Basileae 1554) libro quinto (p. 271) sic scribit 'conuertendis autem graecorum literis iustum ocium delegit similitudine studiorum cum M. Tullio coniunctus M. Varro, a quo nullum in omni uarietate doctrinae praetermissum est argumentum' e. q. s.

litterarum, in quo (cf. A. Nauck Arist. Byz. fr. p. 269. L. Spengel Emend. Varr. p. 7) *est Aristophanes et Apollodorus.* quae cum demonstrent praeter grammaticorum Varronem etiam Cleanthis 'quasi maiorum gentium stoici' (Cic. acad. post. II 41 126), qui scripsit *περὶ τοῦ λόγου* libros tres (L. D. VII 175), Chrysippi, Antipatri Tarsensis Diogenis Babylonii discipuli, qui *περὶ λέξεων καὶ τῶν λεγομένων* disputauit (L. D. VII 58. cf. P. A. Wuillot de Antip. Tars. p. 69. 42), libros lectitasse et in altera triade singulorum uerborum originibus destinata adhibuisse, nonne sequitur, multo magis eisdem eum usum fuisse in triade priore, qua philosophicae etymologiae rationes examinandae erant? De analogia et anomalia declinationum, quas secunda hexas tractat, 'Graeci Latinique libros fecerunt multos' (VIII 23 p. 408), et minus necessarium erat ad ipsos stoicorum thesauros confugere. nihilo minus uelut e fonte primo e Chrysippi libris de anomalia Varronem hausisse testantur prima libri noni uerba: ....*in quo fuit Crates, nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo homine acutissimo, qui reliquit περὶ ἀνωμαλίας IIII libros, contra analogian atque Aristarchum est nixus, sed ita ut scripta indicant eius, ut neutrius uideatur peruidisse uoluntatem, quod et Chrysippus de inaequabilite cum scribit sermonis, propositum habet ostendere similis res dissimilibus uerbis et dissimilis similibus esse notatas, id quod est uerum, et Aristarchus de aequabilitate cum scribit* [*et de* add. F], *uerborum similitudinem quodammodo* (Sp. *quarumdam* F) *in declinatione* (Sp. *inclinationes* F) *sequi iubet, quoad patiatur consuetudo.* [1]) e quo argumento librorum Chrysippeorum

---

1) In hoc loco scribendo L. Spengelium de emend. rat. libr. Varr. de l. l. p. 9, qui olim de eodem loco in Iahni annal. 1834 p. 7 egerat, secutus sum praeterquam quod simplicius uidebatur e codicis uerbis *similis res dissimilibus uerbis et dissimilibus similes esse uocabulis notatas* id quod supra posui efficere, quam quod Spengelius uoluit [*similis*] *res dissimiles similibus uerbis, et dissimilibus similes*

facilis est coniectura, huic Varronem quae libro VIII 34 p. 417 — 43 p. 423 de eadem re disputat debere; alia quoque indidem fluxisse arbitror quod nunc non persequor. In syntaxi uero stoici soli regnabant, ad eos confugere, qui se huic disciplinae darent Dionysi Varrone aetate paullo posterioris scriptoris exemplo supra uidimus, eos igitur etiam Varro sequi debebat. nec mirabere quod his rebus duodecim libros inpleuerit, si uberrimam materiam et ingentem librorum a Chrysippo conscriptorum molem reputaueris. habemus autem praeter ipsius Varronis dispositionem supra indicatam certum testimonium libro XXIIII talia exposita fuisse, Gellius enim scribit noct. att. XVI 8, 6 *sed M. Varro de lingua latina ad Ciceronem quarto uicesimo expeditissime ita finit 'proloquium est sententia in qua nihil desideratur'* (cf. l. l. VI 56 p. 233). Ex illo autem commentario L. Aeli 'stoici'[1]) qui Varronis magister erat de proloquiis, quem Gellius paullo ante memorat, uides quantum absit, ut haec studia aliena a M. Terentio iudicemus, sed eum potius magistri exemplo incitatum diligentius in rem inquisiuisse. Huius argumenti natura et proprietate

---

esse [uocabulis] notatas. addo quod *IIII libros* (cod. *lei libri*) Laerti Diogenis codicibus in indice librorum Chrysippeorum (VII 192) confirmatur. habet enim, ut mecum communicauit Curtius Wachsmuth, cod. Burbon. 253 saec. XII *περὶ τῆς κατὰ λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς δίον α̅β̅γ̅δ̅*, cod. Laurent. plut. 69, 35 *περὶ τοῦ κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς δίωνα α̅β̅γ̅δ̅*, cod. Menagii *α̅β̅γ̅*, Ionsius hist. phil. II 8, 2 coniecit ϛʹ e Varrone ubi olim *sex libros* legebatur.

1) Cic. Brut. 56, 205: 'fuit L. Aelius omnino uir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Graecis litteris et Latinis antiquitatisque nostrae et in inuentis rebus et in actis scriptorumque ueterum litterate peritus. quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, uir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus litteris explicauit. sed idem Aelius stoicus esse uoluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit.'

etiam factum est ut et grammatici posteriorum temporum, postquam praesertim Apollonius prodiit, hos libros neglegerent, et ipsi libri immature perirent.

Nihilo minus experiri debemus num certius quid statui possit. potissimum sine dubio Chrysippum secutus eius inuenta eodem modo atque in reliquis libris grammaticorum stoicorumque placita refutauit uel probauit uel correxit. paucissimae relliquiae extant nec tales e quibus effici quidquam possit, sed non nullius momenti in hac re Augustini [1]) libellus est, qui inscribitur 'principia dialecticae'. Augustinus quem Varronis scripta ardenti studio lectitasse constat (cf. L. Krahner de Varr. antiq. libr. p. 31, Francken l. l. p. XV sq.), cum postea nimia pietate haec studia contemneret, ita scripsit *et quid mihi proderat quod omnes libros artium quas liberales uocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum seruus per me ipsum legi et intellexi quoscunque legere potui? et gaudebam in eis et nesciebam, unde esset, quidquid ibi uerum et certum esset* (confess. IIII 16, 30. I p. 123 ed. congr. St. Maur.), cumque in his quoque studiis, cum undecunque libros corriperet, Varronem non neglexisse per se probabile est. libellum ipsum inspicienti e stoicorum mente eum scriptum esse apparet, et ad eorum doctrinam explicandam post Th. Stanleium (hist. phil. II p. 166 ed. Venet. p. 566 ed. Lips.) ab Rudolpho Schmidtio adhibitus est, qui quae de etymologia ibi docentur, e Varronis libris de eadem re (libris II—IIII de lingua latina) fluxisse coniecit. quod recte posuisse uidetur. primum enim e ueriloquiis ibi prolatis plurima tamquam Varroniana notanda sunt, aliaque

1) Episcopi Hipponensis enim hoc opusculum esse demonstrauit Prantl l. l. p. 666, quamquam id C. F. Webero proleg. in Augustini art. gramm. p. 1 non persuasisse uidetur. addere potuit in libro de magistro quem patrem breui post illud scripsisse constat (cf. Augustin. retract. I 12) nonnulla recurrere quae in illo libello leguntur ut V 12. 16. Tom. I p. 679. 682 ed. congr. S. Maur., unde apparet dialecticam illic expositam re uera Augustinum amplexum esse.

illis tam sunt similia ut ab eodem scriptore in libris qui perierunt profecta uideantur.[1]) deinde principia etymologica eadem apud utrumque sunt, quod cum unusquisque facile uideat non multis expono. praeterea argumentum eodem modo ac Varro in libris nostris diuidit Augustinus: *ergo omne uerbum propter id quod sonat quattuor quaedam necessaria uocat in quaestionem originem suam uim declinationem ordinationem.* uis enim uerbi quam arte cum eius origine conexa sit in propatulo est, deque ea in priore de etymologia triade Varronem locutum esse ostendunt quae V 2 p. 13 dicit, Augustinus uero eam pro suo consilio more dialecticorum quorum libros consuluit accuratius tractat. declinatio et ordinatio cum reliquis Varronis partibus conueniunt, quarum altera quid sit Priscianus doceat *consequentia ordinationis id est casus casibus et genera generibus et numeros numeris et personas personis et tempora temporibus congrua disponere* (XVII 185 II p. 200). denique si unicus terminus, quo Varronem in libris syntacticis usum esse e Gellii testimonio scimus, p r o l o q u i u m hic recurrit, quod

---

1) Apud Varronem recurrunt ueriloquia *urbis* V 143 p. 145 *horrei* V 106 p. 109 *putei* V 25 p. 41. uiolentum apud Augustinum a *ui*, ab eodem *uis* uiolare VI 80 p. 256, et ab eodem per gradus quosdam apud illum uinculum uimen uitis uietus, ab ipso *uis* V 62 p. 68 uincire uinclum uiere, V 37 p. 38 uinum, ab hoc uitis deriuatur (de postremis cf. Donat. in Ter. Eun. IIII 4, 21). solius *uiae* origo, quod V 35 p. 37. de re rust. I 2, 14 a uehendo ducitur, non respondet; talem inconstantiam autem nemini antiquorum grammaticorum non excidisse inter peritos constat, de Varrone cf. Mueller praef. Varr. p. VII. quae praeterea apud Augustinum occurrunt *lucus bellum foedus* e. q. s. in libris nostris non explicantur. — Breuiter moneo locum V 22 p. 31, qui multos uexauit, nuper Ludouicum Oxé de Varr. etymolog. quibusd. p. 22, et in codice ut tradunt ita legitur *Vias quidem iter, quod ea uehendo teritur, iter iterum, actus quod agendo teritur* e loco s. s. V 35 p. 37 illuc inlatum et quodammodo uicinis etymologiis accommodatum esse, quod neminem uidisse miror.

uerbum praeter Martianum Capellam et Arnobium nemo adhibuit (nam Pseudo-Apul. de dogm. Plat. III p. 262 Hild. nihil nisi Varronem ita dixisse refert), his argumentis coniunctis adducor, ut eas libelli istius particulas, quae ingenium Varronianum prodant, ad libros de lingua latina referam. Ad syntaxin inlustrandam non multum inde lucramur, nam pauca tantum de uerbis et sententiis simplicibus coniunctisque ad firmandam dispositionem suam praefatus est. plura de etymologia discimus de qua infra dicam. Sed hic facile aliquis obiciat, ne confidentius loquere! cum enim Martianus Capella IIII 338 Kopp. p. 97 Grot. non solum eandem totius argumenti dispositionem atque Augustinus (cap. IIII) habeat, sed etiam in eius disputatione de uerbis aequiuocis et uniuocis eadem quamquam multo breuius legantur, quae Augustinus profert,[1]) praeterea autem et hunc (de ord. II 12, 35 tom. II p. 415 cf. F. Ritschl quaest. uarr. p. 7) et illum (IIII 335 p. 97 cf. C. F. Hermann praef. ed. Kopp. p. XX. Ritschl l. l. p. 5) Varronis disciplinarum libris usum esse constet, nonne multo ueri est similius, illa e libro disciplinarum de dialectica fluxisse, in quo stoicorum placita non neglecta esse uideantur [2])? neque sine

1) August. l. l. p. 48E: 'ea quae una definitio potest includere uniuoca uocantur: illius autem, quae sub uno nomine necesse est definire diuerse, aequiuoci nomen est'. p. 49 C: 'haec sunt igitur uniuoca, quae non solum nomine uno, sed una etiam eiusdem nominis definitione clauduntur, quamuis et inter se propriis nominibus et definitionibus distingui possunt.' Mart. Capella IIII 355 p. 103 sq. 'aequiuocum est quando multarum rerum unum est nomen, sed non eadem definitio, ut leo .... uniuocum est, quando duarum uel plurium rerum unum nomen est et definitio.'

2) Cassiodor. de artib. et discipl. liber. p. 536^b Garet: 'dialecticam uero et rhetoricam Varro in nouem disciplinarum libris tali similitudine definiuit: dialectica et rhetorica est quod in manu hominis pugnus adstrictus et palma distensa, illa breui oratione argumenta concludens, ista facundiae compos copioso sermone discurrens,

specie quadam probabilitatis haec opponuntur, praesertim cum ita totum Augustini opusculum ex uno Varronis libro, quamquam magno opere extenuato, haustum esse possit, nam quae de ui uerbi disputat cap. VII—X nullo modo libris de lingua latina, perbene dialecticae apta sunt. Sed praeterquam quod in hac (libro enim singulari tractabatur) unumquemque tam longa disputatio de etymologiis offendet, nescio an singularis consensus, quem supra exposui, cum libris de lingua latina hanc dubitationem tollat. ne autem nihil profecisse uideamur, si hoc concedere prorsus recusas, unum adicio. Varronem libros disciplinarum multis annis post illos de lingua latina scripsisse demonstrauit Ritschelius l. l. p. 57, quamuis L. Mercklin (philolog. IIII p. 427) dissentiat; in his igitur sine dubio quae ipse summa industria multaque meditatione congesserat non neglexit, sed retractata passimque mutata et admodum contracta suum in usum conuertit, id quod etiam in aliis libris eum fecisse infra monebo. utcunque igitur statuis, quamquam prius illud mihi multo magis arridere tacere nolo, iure nostro nunc haec fragmina nos in relliquiis de lingua latina posuise concedes.

Varro, cuius uerba Augustinus multis ambagibus reddidit, de enuntiatis simplicibus et coniunctis egit, quorum haec sententiam aut inplent aut non inplent (fr. 32*). quae inplent iterum affirmari possunt aut nequeunt; priora sunt proloquia, de quorum coniunctione postremo dixit. haec stoicorum λεκτὰ ἐλλιπῆ et αὐτοτελῆ, ἀξιώματα ἁπλᾶ et οὐχ ἁπλᾶ esse uides. in quibus unum notandum est. tertia uerbi persona praeter uerba, quae nos dicimus inpersonalia, in simplicibus uerbis ponitur, prima et secunda persona in con-

illa uerba contrahens, ista distendens'. cf. Isid. orig. II 23, 1. a Zenone haec Varronem transtulisse Cassiod. l. l. p. 531b Sext. Emp. adu. math. II 7 alii docent, et alia in promptu sunt, quibus illud confirmetur.

iunctis *quae simplicem non habent significationem* (cf. Mart. Cap. IIII 388 p. 118), nam ego et tu pronomina tacite subiecta sunt, quod quamquam de stoicis non diserte memoratur [1]) ex eorum placitis necessario manat, ut in hac quoque re illos Varro secutus sit.

Quomodo uero amplam materiam in duodecim libros distribuerit, conici uix potest. suspicari licet priore hexade eum de casibus obliquis et uerborum formis, quatenus haec cum illis coniuncta sint, altera de proloquiis simplicibus et conpositis disputasse, quod conuenit cum stoicorum diuisione in *λεκτὰ ἐλλιπῆ* et *αὐτοτελῆ*. neque e Gelli libri XVI capite octauo sequitur (fr. 36), in fine demum libri XXIIII proloquia tractata esse, quod quomodocunque rem disposuerit fieri potuisse nego. quare quod Gellius adicit, Varronem *ἀξιώματα* alias profata alias proloquia uertisse, id non cum Ritschelio (l. l. p. 5) ad dialecticam sed ad ipsos libros de lingua latina referendum duco, ut his uocibus promiscue, ut in aliis terminis fecit, usus sit. profatum enim, quantum sciam, apud nullum scriptorem, proloquium apud Augustinum et Capellam occurrit. quorum hunc librum de dialectica legisse constat, illum eundem fortasse adhibuisse supra uidimus. sed longius progrediendum est. narrat enim hoc capite Gellius, se inspectis dialecticorum *εἰσαγωγαῖς*, ut de axiomatis a M. Varrone profata uel proloquia adpellatis se edoceret, quaesiuisse commentarium L. Aeli de proloquiis, quem sine dubio in eodem libro Varronis atque illud memoratum uiderat (cf. L. Mercklin d. citiermeth. d. Gell. in Fleckeiseni annal.

---

1) Hoc moneo propter Carolum Prantl l. l. p. 667 qui id a stoicis alienum putat. Laertius autem Diogenes (VII 63) scribit: *ἐλλιπῆ (λεκτὰ) μὲν οὖν ἐστι τὰ ἀναπάρτιστον ἔχοντα τὴν ἐκφορὰν οἷον ‘γράφει’· ἐπιζητοῦμεν γὰρ τίς;* quod cum in prima et secunda persona absolute quaeri non possit, discrimen quoddam inter has et illam fecisse stoicos sequitur.

supplem. III p. 646), sed eo reperto nihil inde didicisse et ad Graecos libros rediisse. ponit ex his sumptam definitionem Chrysippi *ἀξιώματος* (cf. L. D. VII 65), deinde eam, quam Varro de proloquio in libro 'de lingua latina ad Ciceronem quarto uicesimo' protulit. secuntur, interiectis quibusdam proloquiorum exemplis et axiomatis descriptione apud stoicos usitata iterumque nominato Varrone (ut de Ciceronis *ἀξιώματος* uersione ex disp. Tusculanis I 7, 14 petita taceam), *ἀξιωμάτων συνημμένου συμπεπλεγμένου διεζευγμένου παραδιεζευγμένου* explicationes, adiectis interpretationibus latinis, quas cum e graecis libris quos ante significauit, licet reliqua inde hauriret, sumere non potuerit, ad eundem Varronem referendae uidentur. in qua re incertum est, num utramque quam profert proloquii *συνημμένου* et *συμπεπλεγμένου* uersionem Varroni an fortasse alteram Aelio debuerit. duo in promptu sunt quibus haec suspitio confirmetur. primum enim Gellium has interpretationes non de suo addidisse, quod hominem philosophiae non ignarum fecisse facile contendas, inde conligendum, quod *ἀξίωμα διεζευγμένον*, quod ipse (V 11, 8) 'diiunctiuum' appellat, nostro loco 'disiunctum' uertitur. alterum est, quod proloqui *παραδιεζευγμένου*, stoicis ut uidetur adhuc ignoti (cf. Prantl l. l. p. 448. 605), uersionem omnino non proponit, quoniam eam, ut quod prope sua sponte apparet adiciam, in Varronis libro non repperit. cuius *παραδιεζευγμένου* usu admoniti, ne quid audacius Varroni adscribamus, num ex reliquis quidquam ad eum referendum sit, in medio relinquimus. qui uero sciunt in his rebus exempla non nullius momenti esse et idem proloqui conexi exemplum *si (Plato) ambulat, (Plato) mouetur* hic et in Augustini opusculo de dialectica adhibitum uident, non nulla fortasse praeterea ut ipsa exempla e Varrone fluxisse mecum existimabunt. in libro XIIII igitur de proloquiis conpositis agebatur. hinc progredienti conicere licet Varronem in extremae hexadis triade priore, ut solet in hoc opere, gene-

ratim de proloquiis dixisse, in posteriore ad singula explicanda profectum libro XXIII proloquia simplicia, libro XXIIII conposita, libro XXV poetarum usum uel nescio quid tractasse. sed haec pro certis non uendiderim.

Transeo ad priores libros. Hexas prima, ut saepius dixi, de etymologia scripta erat, et libri tres 'priores de disciplina uerborum originis, posteriores de uerborum originibus'. priorum 'in primo uolumine est' ut ipsa Varronis uerba ponam (VII 109 p. 339) 'quae dicantur, cur ἐτυμολογικὴ neque ars sit neque ea utilis sit, in secundo quae sint, cur et ars ea sit et utilis sit, in tertio quae forma etymologiae'. primo igitur libro contra stoicos et grammaticos, qui eorum uel similia praecepta sequebantur, altero ex eorundem mente disputauit, tertio suam de re sententiam exposuit. praeclara sane dispositio! Studia etymologica stoicorum (cf. K. Lehrs de Aristarchi stud. hom. p. 340. R. Schmidt l. l. p. 21. Ch. A. Lobeck de antiphr. et euphemismo in actis societ. gr. II p. 293 sq. C. Wachsmuth de Crat. Mall. p. 13. H. Steinthal gesch. d. sprachw. p. 323) ex interioribus linguae rationibus, quas probabant (cf. p. 5) pendebant eorumque usum in singulis tractandis grammatici secuti sunt, ut nihil fere inter eos intercedat discriminis. et paullatim efflorescente arte, quod iam Plato in Cratylo ioco serioque adgressus erat, certas deriuandi leges proposuerunt, quibus ni mirum usi quodlibet fere uerbum a quolibet ducere potuerunt. et apud Varronem, ne in reliquis commorer, et interiorum rationum et certarum legum specimina, quae satis esse uidentur, deprehendemus. Initio primi libri sine dubio de etymologia in uniuersum, ut initio octaui libri (3 p. 392 — 24 p. 409) de declinationibus, eadem fere mente disseruit, qua V 2 p. 13 dicit *cum uniuscuiusque uerbi naturae sint duae, a qua re et in qua re uocabulum sit impositum — itaque a qua re sit pertinacia cum quaeritur, ostenditur esse a pertendendo, in qua re sit impositum dicitur cum demonstratur, in quo non debet pertendi et per-*

tendit pertinaciam esse, quod in quo oporteat manere, si in eo perstet, perseuerantia — priorem illam partem, ubi cur et unde sint uerba scrutantur, Graeci uocant ἐτυμολογίαν, illam alteram περὶ σημαινομένων. ipsa etymologiae inpugnatio in duas partes diuisa erat, ut liber octauus (25 p. 409), altera erat generalis, cuius nullum uestigium indagaui, altera singula crimina amplexabatur. quae crimina (V 3 p. 14) tripartita sunt, primo ab inpositione repetita: non omnis inpositio uerborum extat, quae extat non omnis sine mendo inposita, quae recte est inposita non cuncta manet, quia multa uerba commutatis litteris obscurantur; deinde a linguarum diuersitate: non omnis origo est latinae linguae e uernaculis uerbis; denique a ui uerborum: multa uerba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant. haec omnia multis exemplis inlustrauit, qualia facile in libris sequentibus inuenies. neque deerant puto querelae ut (V 5 p. 15) *uetustas pauca non deprauat, multa tollit. quem puerum uidisti formosum, hunc uides deformem in senecta. tertium seculam non uidet eum hominem quem uidit primum. quare illa quae iam maioribus nostris ademit obliuio fugitiua, secuta sedulitus Muti et Bruti retrahere nequit.*

Libro altero contra etymologiae praestantiam praedicauit et eodem modo quo libro nono opinor primo quae ad uniuersam etymologiam spectarent, deinde singula crimina ‘et ea quae in priore libro essent dicta et ea quae potuissent dici’ (VIIII 7 p. 461) perlustrauit. In priore parte recte stoicos artem etymologiam iudicasse eidemque manifestis praeceptis certum fundamentum dedisse disputauit. quae praecepta, si supra Augustini principia dialectica huc pertinere probauimus, ita fere persecutus est. omnium uerborum ratio explicari potest et ab alio ad aliud transeundum est, donec res (nam res et uerba perpetuo confunduntur) similitudinem quandam cum sono uerbi ostendant, ut ouium balatus uel tubarum clangor. huc igitur referendus uidetur Noni locus (p. 450 M. gannire) de ani-

malium uocibus. talia uerba *quasi cunabula uerborum esse,* dixit *ut sensus rerum cum sonorum sensu concordaret.* in rebus quae non sonant similitudo tactus ualet, ut lene lenem crux asperum sonum habet. inde ad rerum similitudinem progrediendum esse putauit, deinde ad uicinitatem quandam, cuius multos modos enumerauit, fieri per efficientiam et effectum, per id quod continet et continetur, a parte totum et a toto partem, immo per abusionem. postrema ratio progressus ad contrarium est, sed hanc adamasse Varro non uidetur. permultorum uero uerborum originem ostendi non posse Varro concessit, ut Augustinus in his quoque eum sequatur, quod eum concessisse et mediae uiae, quam in libro decimo elegit, exemplum (79 p. 588), et non pauci loci librorum etymologicorum docent. Deinde ad singula crimina eum transiisse postrema Augustini uerba confirmant, ibique redarguit, quae in libro praemisso posuerat, cuius disputationis frustula quaedam initio libri septimi recurrunt. sed hic quoque ut in controuersia de analogia et anomalia non in sophistarum morem nunc hanc nunc illam causam defendisse censendus est, sed duobus partibus constitutis quasi arbiter inter stoicos eorumque aduersarios esse uoluit.

Suam denique sententiam in libro tertio explicauit, etymologiam, ut ex libris sequentibus uidere licet, multis quidem difficultatibus et exceptionibus inpeditam, sed artem esse quae certis legibus et praeceptis niteretur. huc igitur pertinent haec (V 6 p. 17): *in consuetudine communi quot modis literarum conmutatio sit facta qui animaduerterit, facilius scrutari origines patietur uerborum, reperiet enim esse conmutata, ut in superioribus libris ostendi, maxime propter bis quaternas causas. literarum enim fit demptione aut additione, et propter earum adtractionem aut conmutationem, item syllabarum productione* . . . . loco in codice ita mutilato ex parte O. Mueller succurrit, qui recte membrorum aequabilitatem secutus, *aut correptione* additit et lacunam homoeoteleuto

ortam esse significauit. restabat uero quartum, quo a syllabis ad litterarum transpositionem scriptorem rediisse, quod O. Mueller putauit, minime ueri simile est. nec magis placet, quod facile in mentem uenit, syllabarum uel potius uerborum 'aspiratio aut uoculatio' quo termino Nigidius Figulus (Gell. XIII 26, 1) pro accentu usus est, nam in ipsis deriuationibus, quas in sequentibus libris profert, utrumque nusquam adhibetur. ne 'syllabarum demptio aut additio' uel 'transpositio aut conmutatio' quidem, quae in prioribus legibus de litterarum mutationibus plane generaliter datis, conprehensae erant, accedere potuerunt. quodsi classes uocabulorum, quorum origines explicandae erant, perlustraueris, ualde mirabile tibi uidebitur, nihil de illo genere dictum esse, quod in omnibus linguis latissime patet cuiusque indoles neminem fugere potest, uerba dico conposita, quae iam Plato in Cratylo (p. 425 A. p. 434 A. cf. schol. in Crat. p. 43 Boiss. p. 1163 Bekk. anecd. gr.) explicare periclitatus est et Aristarchus (Charis. p. 117, 4) in analogiae regulam recepit. Varroni non modo uocabulo 'conpositicia' (VI 55 p. 232) uel 'conposita' (VIII 61 p. 436) nota erant, uerum etiam duo talium uocabularum genera distinxit, simpliciter conposita et ea, quae e duobus, uocabulis uel altero uel duobus plus minus mutatis breuiatis contractis orirentur, ut loci infra scripti docent: V 141 p. 143 *ab aedibus et faciendo maxume aedificium*; V 176 p. 176 *detrimentum a detritu . . . . ab eadem mente intertrimentum ab eo quod duo, quae inter se trita et deminuta*; V 178 p. 177 *manupretium a manibus et pretio.* et sic permulta praecipue in extremo libro quinto. alterius generis haec sufficiant exempla: V 171 p. 171 *septem a septem et uncia conlisum*; V 37 p. 38 *uineta ac uineae a uite multa*; X 81 p. 589 *quod uocabulum factum ut ex non et uolo nolo, sic ex ne et quidquam, item media extrita syllaba, coactum est nequam.* quam ob rem hoc genus in illa regula praetermitti posse nego et Varronem *denique uocabulorum conpositione aut conlisione* scripsisse cen-

seo. nihili in hac re est, quod ad conpositionem non semper respexit, ut VI 43 p. 222 *cogitare a cogendo dictum, mens plura in unum cogit, unde eligere possit. sic ex hominibus contio dicta, sic coemptio, sic compitum nominatum. a cogitatione concilium, inde consilium.* nam horum temporum grammatici ei erant, qui nondum usum semper ad artem dirigere didicissent quorumque ars ipsa haud sane perfecta esset.

Altera triade, quae seruata est, 'de uerborum originibus' agitur, primo libro (VII 110 p. 389) de uocabulis 'locorum et earum rerum quae in locis esse solent', secundo 'quibus uocabulis tempora sint notata et eae res quae in temporibus fiunt', tertio 'in quo a poetis sumpta ut illa dixi in duobus libris de (*om.* F.) soluta oratione'. de his pluribus disputare non magis huius loci est, quam de prima triade alterius hexadis de declinationibus scripta, quae item extat, cuius libro primo exposuit 'quae contra similitudinem declinationum dicantur', altero quae 'contra dissimilitudinem', tertio 'de similitudinum forma' (VIII 24 p. 409), quae diuisio cum dispositioni librorum II—IIII prorsus respondeat (VII 109 p. 389), iam hic expectamus, alteram [1]) triadem eodem modo illius hexadis triadi secundae respondisse, ut primus liber uocabula, alter uerba temporalia, tertius poetarum usum contineat, quod confirmabitur si diuersas orationis diuisiones a scriptore in libro decimo, quo suam de analogia sententiam explicat, propositas examinauerimus. duae enim sunt quae in censum ueniunt [2]). prioris hae partes sunt (X 15 p. 552. 51 p. 574.

---

1) Recte uidit O. Mueller praef. p. L, ad hos libros referenda esse, quae 'de copia uerborum' VIII 2 p. 392. 20 p. 406) Varro promittit, eosdemque iudicari 'libris qui de formulis uerborum erunt' (X 33 p. 536) quod alterum testimonium M. Hertz (philolog. klin. streifzug p. 31) de libris XX—XXV accipere maluit, quamquam e uerborum contextu ibi de declinationibus actum iri intellegitur.

2) Reliquae sunt hae: uerba quae declinantur et quae non

VIII 21 p. 406): uoluntas hominum quae est inpositio uocabulorum, natura quae est declinatio uocabulorum quo decurritur sine doctrina, uoluntatis et naturae coniunctio. inpositionem in his libris non neglectam esse uel inde euincitur, quod analogiam quae in etymologia ualet, in libris etymologicis ne uerbo quidem tetigit et quod scriptor ipse 'de utriusque generis declinationibus' (VIII 24 p. 408) actum iri pollicetur. sed eum hac diuisione in argumentis librorum, ut primum inpositioni, alterum declinationi destinaret, non usum esse, demonstrat arta coniunctio, quam inter uoluntatis et naturae declinationem intercedere fere ubique premit (VIII 5 p. 394. X 51 p. 574 al.) et id docet, quod ita libro tertio primi et secundi libri disputationes recoquere coactus fuisset. accedunt grammaticorum testimonia ex libro undecimo, quae de declinatione non de impositione agunt. Restat igitur altera diuisio saepius obuia (X 17 p. 553. VIII 31 p. 476. VIII 44 p. 424. VI 36 p. 215), quae summa[1]) partium orationis apud Varro-

---

declinantur (X 14 p. 551), uerba uernacula aduenticia notha ex peregrinis nata (X 69 p. 582), analogia quam sequitur populis singuli e populo (X 74 p. 586), consuetudo qua antiqui usi sunt qua nunc utimur qua poetae utuntur (X 73 p. 585), quas omnes non aptas esse argumenti indoles et mos scriptoris in libris etymologicis conspicuus docent.

1) Duae diuisiones sese excipiunt VIII 44 p. 424 *oratio secanda ut natura in quattuor partis, in eam quae habet casus et quae habet tempora et quae neutrum et in qua est utrumque. has uocant quidam appellandi dicendi adminiculandi iungendi. appellandi ut homo et Nestor, dicendi ut scribo et lego, iungendi ut et et que* (M. *utque* F), *adminiculandi, ut docte et commode.* quae diuisiones inter se non congruunt, iungendi enim et adminiculandi partes ambae nec casus nec tempora habent. secundam diuisionem Varro debuit philosophis a Prisciano (XI 6. I p. 511) indicatis: *quibusdam philosophis placuit nomen et uerbum solas esse partes orationis, cetera uero adminicula uel iuncturas earum, quomodo nauium partes sunt tabulae et trabes, cetera autem id est stuppa et claui et similia uincula et conglu-*

nem conprehensio est. ea distinguit quattuor uerborum genera quae habeant casus, quae tempora, quae utrumque, quae neutrum. hanc cum in priore quoque triade ubicunque non generalem doctrinam sed singula tractat, naturam secutus orationis, constanter adhibeat (locis supra significatis, in libro nono lacuna pleraque deuorauit[1])), eadem

---

tinationes partium nauis, non partes nauis dicuntur. quarum altera parte eique coniunctis quae non exscripsi, num Ammonium (in Aristot. π. ἑρμ. p. 99[a] Br.), aequalem sibi scriptorem inpugnauerit an tritam eo tempore quaestionem tetigerit, incertum est. uerisimile autem est philosophos illos peripateticos fuisse uel in hac re cum eis facientes. Aristotelis (cf. Steinthal l. l. p. 257) sententiam Dio excoluit (VIII 11 p. 400) *quorum generum declinationes oriuntur, partes orationis duae, si item ut Dion in tris diuiserimus partes res quae uerbis significantur: unam quae adsignificat casus, alteram quae tempora, tertiam quae neutrum. de his Aristoteles orationis duas partes esse dicit, uocabula et uerba, ut homo et equos, et legit et currit.* hanc igitur diuisionem Dionis (qui num academicus ille fuerit quode Elink Sterk de paraplerom. symb. litt. belg. VIII p. 9 disseruit nescio) cuius pars tertia quae neutrum habet in duas partes iungendi nimirum et adminiculandi discribitur, quae itaque paullo magis est explicata, secundam Varronis esse censeo. Sed etiam prima Varronis diuisio orta est ex Dionea, adiecta parte quae utrumque habet. quare, quamuis non prorsus accurate, tamen non ita neglegenter (cf. Schoemann l. l. p. 14) Varro locutus est, cum has ad quattuor partes generales non ad proxime antecedentes singulas referret.

1) Vt hoc melius intellegatur simulque aequabilitas librorum VIII et VIIII nec in editis exemplaribus nec in O. Muelleri dispositione satis conspicua oculis subiciatur, eos breuiter hic conposui. respondent sibi haec

VIIII	1 -6	praefatio	VIII 1—24
	7	dispositio sequentium	25
	8—35	consuetudo — ratio	
	36 -39	A. pars generalis. 1. praefatio	
	40—44	2 a de similitudine	39—43
	45	2 b analogia ubique aut nusquam	37—38
	46. 47	2 c de delectatione	31. 32

etiam in posterioribus libris quibus singillatim analogiarum

48	2d de utilitate	26—30
lacuna 49—54	2e analogiae leges	33—36
55—62	3a declinatio sexus	46. 47
63—69	3b decl. multitudinis	48
70 lacuna	3c decl. casualis (in uniu.)	49
lacuna	B pars specialis. dispositio	44. 45
	I uerba iuungendi adminic.	lacuna in fine libri
	II 1 articuli	50. 51
	2 pronomina	lacuna in fine libri
lacuna 71	3 uocabula. a. decl. nominandi	52—62
72. 73	3b decl. augendi	75—78
74	3c decl. minuendi	79
75—88	3d decl. casualis (de sing.)	63—74
89—94	4 nominum decl.	80—84 lacuna quae
95—110	III uerba temporalia	reliqua deuorauit

Vides partem generalem (A) libri VIIII eidem in VIII ita respondere ut praemissis quibusdam de consuetudine et ratione reliqua inuerso ordine sequantur, sed disputationem de analogiae legibus (A 2e) libro VIIII grauiorem et pluribus tractandam ibi in fine huius partis positam esse. expositionem uero de sexu numero casu (A 3) in libro VIII principio partis alterius positam, in libro VIIII ubi lectores e libro octauo extremo nouerunt (cf. Mueller p. XXXXVI) praeter nomen et uerbum analogias non esse (cf. VIII 9 p. 398. X 79 p. 588) priori parti statim esse addita. Altera pars (B) ab eadem in libro VIII eo discedit ut quae minoris momenti sunt, aut praemittantur, ut particulae (I) et articulis adiecta pronomina II 2 (hoc autem factum esse apparet ex eo quod deinde nusquam memorantur) aut inter grauiora interponuntur, ut declinatio augendi et minuendi (II 3b. c). Lacunae autem, quas inter paragraphos 48 et 49, 70 et 71 subtili usus iudicio Mueller indagauit, in eodem codice ortae sunt, quo transpositio V 13 p. 33 sq. facta est (cf. Spengel ztschr. f. alterthw. 1846 p. 142. ueb. d. kritik d. buech. de l. l. p. 10); in hoc enim quae leguntur VI — 41 p. 40 quinque explebant folia, quorum singula circiter MMCCCXXXX litteras conplectebantur (Spengeli in hac re editione usus sum), quae uero leguntur IX 49 p. 490 — 70 p. 508 circiter IↃↃMDCCCC litteras conprehendunt, tribus igitur illius codicis foliis (MMCCC litterarum) scripta erant.

genera persequebatur, uti debuit. tractauit igitur libro undecimo uocabula quae casus, duodecimo, quae tempora habent, quod confirmatur ipsius uerbis (VIII 13 p. 401): *cum de his nomen sit primum (prius enim nomen est, quam uerbum temporale, et reliqua posterius quam nomen et uerbum: prima igitur nomina) quare de eorum declinatione quam de uerborum ante dicam*, quae quamquam alia occasione dicta generalem sententiam continent. ne uero quis miretur, quod uerbis temporalibus, quae antiquioribus grammaticis minus curae erant, totum librum dederit, cum libro decimo (31 p. 562 sq.) et nono (95 p. 527), (in octauo haec interciderunt) breuissime de eis agat et nullae fere huius argumenti relliquiae apud grammaticos extent, monendum est de eisdem etiam maiorem libri sexti partem esse et Varronem tribus locis (VII 90 p. 368.[1]) VIII 20 p. 416. X 33 p. 563) profiteri, ipsam hanc rem in sequentibus libris diligenter se explicaturum. uerba quae neque casus neque tempora habent in transcursu si omnino tangebantur, participialia uero non totum librum XIII expleuisse, sed aut cum nominum (ut VIII 58 p. 434) aut cum uerborum (ut VIIII 110 p. 537) analogiis coniuncta fuisse, pro certo sumere possumus. contra hic liber sine dubio de illo dicendi genere erat, quod in libri decimi dispositionibus fere ubique (70 p. 583. 73 p. 586. 74 p. 586. 42 p. 568) seiungitur et premitur, declinationes dico obsoletiores et rariores quibus poetae utuntur, quae ibi eodem modo explicabantur, ut libro septimo poetarum uocabula exposita esse scimus.

Priusquam de libris XI—XIIII disputare pergimus, de r e l l i q u i i s h i c r e f e r e n d i s dicendum est. ad librum

---

1) Hic enim scribendum esse *cape unde accipe sed hoc in proximis libris* (*proximo libro* F) *retractandum* mecum censebis, si hoc de libro octauo dici non potuisse Varronemque constanter ad 'libros' plurali numero lectores relegare et saepissime in his libris uocabulorum exitus corruptos esse reputaueris.

undecimum omnia apparet pertinere, quae ex libris de lingua latina, certo libri numero non addito, laudantur et ad uocabulorum declinationes spectant. his praemissis ad fragmenta grammatica apud Charisium obuia transeo, quem omnia fere Romano Cominiano Palaemoni Scauro debere constat (H. Keil praef. gramm. lat. uol. I p. XXXXV. W. Christ Philol. XVII p. 120. A. Schottmueller de C. Plini Secundi libr. gramm. p. 7), nec minus Romanum, e quo sumpta sunt caput XVII de analogia et capitis XV ea pars in qua quae ad nos nunc pertinent leguntur, permulta e Plini libris de dubio sermone, alia ex Aspro Capro Helenio Acrone aliis excripsisse. quorum auctorum solus Plinius libros de lingua latina disertis uerbis[1]) laudat et non nisi hos e libris Varronianis, praeterquam quod semel (uel bis) 'libro IIII de utilitate sermonis' in re singulari usus est, et ex libro de sermone latino quinto *later lutum iugmentatum* (sic scripsi pro *iugmenta*) uerba ni mirum non doctrinam grammaticam excerpsit, si alter locus Plini est (cf. Schottmueller l. l. p. 42). probabiliter ergo quae Plinius Varroni debet libris de declinationibus adsignamus, quibus pro suo consilio praecipue uti debuit et ut modo uidimus, usus est (Char. p. 53, 17. 78, 4. 122, 23. 129, 21. 131, 10). praeterea quae Char. p. 73, 13 de deminutiuis habet conlato Pompei commento artis Donati p. 154 e Plinio fluxisse probabile, e Varronis libro XI hausta esse certum est (cf. L. Lersch sprachphil. d. alt. I p. 196), cum quibus locis

---

1) Laudat Plinius librum XI p. 131, 18. 141, 30 (cf. Schottmueller l. l. p. 41). p. 142, 21, librum XIII p. 105, 14. p. 139, 15, librum XXII p. 142, 20. praeterea e Plinio fluxit locus p. 106, 2 (cf. Schottmueller p. 43), quem in libri de l. l. octaui ea parte quae intercidit fuisse uidit O. Mueller praef. Varr. p. XXXXVII. ex eodem Plinio librum XI hausisse Romanus p. 80, 3 cl. Pompei p. 154. Char. p. 37, 13 uidetur. restant loci p. 58, 17 (de l. l. V 18 p. 131) 73, 10 ad Cic. V (108 p. 111) 104, 13. 104, 28 ad Cic. VIII (54 p. 130) p. 105, 14 ad Cic. XIII quos Plinio Romanum debere demonstrari nequit.

artissime cohaerent excerpta Pompei p. 143. Cledon. p. 1897 P. cum uero praeterea Romanus Varrone laudato proferat p. 58, 17, quae de l. l. V 118 p. 131, et p. 104, 13 quae Priscian. VII 55. I p. 333 e libris de l. l. esse docent, etiam reliqua quae cum eorum argumento conuenire uidebantur huc traxi, quamquam rem ita ut nulla dubitatio relinquatur non esse conparatam uideo. sed ut hoc semel moneam, in his minutis frustulis, tam multis dubitationibus obstrictis, quas ne enarrare quidem possis nisi intoleranda uolumina conscribere uelis, id unice uerum uidetur, ut testimonia sequaris et externa indicia quibus innixus singula fragmenta distribuas quantum ullo modo fieri possit inuestiges, sed his omnino deficientibus aut dubiis quam paucissima tamquam incerta relinquas et pro indole et ratione uariorum operum singula eis adscribas libris in quorum quadrant argumentum. de quibus autem ne sic quidem constare quodammodo uidebatur, ea ad calcem conposui.

Libro undecimo declinationes ita exposuisse Varro uidetur, ut genera numerum casus deinceps persequeretur, quemadmodum VIII 46 p. 425 sq. VIIII 55 p. 495 sq. (cf. X 22 p. 556) fecit. Genera proprie ea esse docuit quae natura sint (cf. autem VIII 55 p. 495) eamque in animalibus sequendam esse (fr. 69); quando dubium sit genus, cognosci id posse ex deminutiuis (fr. 10) quae paucis exceptis genus uocabulorum principalium retineant (fr. 11). ubique analogiae studium in singulis tractandis conspicuum est, uocabula graeca in -ης, quae antiquorum alii aliter declinauerant, omnia a littera finiri et feminino genere proferri iussit, ut charta cochlea (fr. 14), 'dies' non sine discrimine masculino et feminino genere dicendum esse, sed illud si unum diem, hoc si temporis spatium significet (fr. 12). De numero nihil extat, nisi 'uis' etiam in plurali eum praecepisse (fr. 15), ita enim ut Probum (p. 31, 1 K.) interpreter, alterum fragmentum e libris de l. l. a Probo statim praemissum de 'uade et uase' (fr. 16) me mouet. de uis uocabulo

cf. Char. 89, 14 cl. p. 548, 1. Priscian. I p. 249, 9. Contra usum constantem (cf. Bentley ad Ter. And. II 1, 20) et Lucili sententiam (cf. Vel. Long. p. 2229. C. Lachmann ad Lucr. p. 329) genetiuum uocabulorum -ius et -ium finitorum duplici I scribere uoluit (fr. 17), ne contra regulam minor nominatiuo fieret, idemque rationem in vocatiuis postulare dixit, sed utilitatis (cf. VIII 10 p. 424 sq.) causa, ut casus discernerentur, hunc uno I proferri (cf. Gell. XIII 26, 1). De ablatiuo singulari tertiae declinationis I aut E finiendo non paucas regulas dederat C. Caesar in libro secundo de analogia, quo opere a Plinio diligenter adhibito num Varro usus sit, quamuis ualde probabile sit, certo dici nequit. statuit enim (Nipperd. p. 756) neutra in E (Char. p. 122, 13) L (Char. p. 119, 5) AR (Char. 122, 16. 133, 18) terminantia praeter iubar (et monosyllaba) ablatiuo in I proferenda esse. eiusdem de eodem I obseruationem Plinius, cui illa quoque debemus, respicere uidetur loco a Romano uel Charisio (18) tam male et breuiter contracto, ut Caesaris praeceptum ad quod Plini uerba referenda sunt in fine lemmatis et insuper misere mutilatum legatur. obseruationem igitur Caesaris de ablatiuo eorum uocabulorum quae similem nominatiuo genetiuum habeant et quae accusatiuum in -im faciant (cf. Charisium p. 47, 14 a Keilio bene conlatum) antiquos damnasse id est loquendo neglexisse Plinius dicit, quos Varro reprehenderit, sed iniuria, nam in quibusdam recte locutos esse, ut ipso teste ‘ab hoc canali siti tussi febri’ dixerint. Varro autem, quo et exempla (ab hoc cane orbe carbone turre falce igne ueste fine monte fonte ponte strigile tegete aue asse axe naue classe) a Plinio ei opposita ipsiusque uerba l. l. VIIII 112 p. 539 ‘qui dicit hoc monti et hoc fonti, cum alii dicunt hoc monte et hoc fonte, sic alia quae duobus modis dicuntur, cum alterum sit uerum, alterum falsum, non uter peccat tollit analogias, sed uter recte dicit, confirmat’ ducere uidentur, praecepit ut omnia

tertiae declinationis nomina substantiua ἀναλόγως ablatiuum datiuo similem haberent. ad eundem ablatiuum spectat, quod discrimen inter 'rure' et 'ruri' (fr. 19) exposuit. in his seuere analogiam secutus, alia ad uitae usum, quem etiam in libris VIII—X saepius premit, direxit, ut nos quodammodo constantiam desideremus. Plinius licet ipse quasdam exceptiones admiserit (Char. p. 129, 27) eum uituperat (fr. 20), quod falces axes lintres uentres stirpes urbes orbes uectes quidem in accusatiuo dicere uoluerit, sed in reliquis eiusdem speciei monteis et similia. de neutris graecis ut poema in his libris sic statuisse uidetur, ut ea aut prorsus tamquam latina (fr. 21) aut prorsus tamquam graeca (fr. 22) declinarentur et sic analogia, quae primo obtutu deesset, ualeret. quod illud quasi lex inuiolabilis, hoc ut constans usus a Plinio ponitur, id eo explicatur, quod pro suo consilio cohaerentem expositionem in breues regulas discerpsit, quas Romanum uel Charisium iterum breuiasse uidimus, quod multis exemplis confirmatur. aliter de eadem re in aliis libris scripsit. in IIII de utilitate sermonis (Char. p. 123, 3 cf. Consent. p. 2040 P), ubi consuetudini communi multum concessisse uidetur, uniuscuiusque iudicio permisit, si Plinium Varronis expositionem secutum esse mecum putas, num poematis an poematibus dicere mallet. in libro de grammatica contra (Char. 131, 10 quem locum inde sumptum esse infra exponam) quo certa loquendi praecepta dabantur, poematibus schematibus et quae talia sunt dici iussit, quia nomina latina, et illa tamquam latina tractanda esse, quae ablatiuum singularis in -e formarent, datiuo et ablatiuo pluralis in -bus exirent. ceterum Plinius in hac re Varronis praecepta diligentissime indagasse et quae in uariis libris docuerat conlegisse uidetur, unde uidere licet, doctis Romanis dubium fuisse quid in huiusmodi nominibus sequendum sit. Denique, indeclinabilibus non neglectis (fr. 23), ad declinationem augendi et minuendi transiisse uidetur (cf. VIII 75 p. 447 sq. VIIII 72 p. 509),

qua conparatiua et diminutiua, ut cum Prisciano loquar, conprehendit. ibi conparatiua et in maius et in minus fieri dixit, generisque alterius (fr. 24) exempla *iuuenior non satis iuuenis, senior non satis senex* posuit.

De libro duodecimo, cum praeter unum fragmentum fortasse inde sumptum (fr. 27) nihil ex eo seruatum sit, tacere quam hariolari malo. suspitionem uero quandam mouent Diomedis (p. 371, 23) uerba corrupta (fr. 26), in eo capite conscribendo Varronis doctrinam non neglectam fuisse. cum autem quae ex eius libro sumpta sint accuratius circumscribere non contigerit, hoc breuissime monito ad librum decimum tertium transeo.

Perpauca de poeticorum uocabulorum explicatione scimus. in Nelei carmine et Liui Odyssia puellam *puera* dictam esse uoluit (fr. 28), ubi Aelius Stilo *puer* retinuit, in quo analogiae studium uides. Varronis sententiam probauit Suetonius (cf. A. Reifferscheid quaest. Suet. p. 465), ut fortasse bonam partem exemplorum (Prisc. I p. 231) de uerbis puellus puerus puer puera prolatorum, cum optime huc quadrent, a M. Terentio acceperit. Mulierum nomina graeca -on terminata ut Leontion Chrysion mire traditur (fr. 29) in ablatiuo et datiuo tantum eum declinare uoluisse, quod per se ineptum est. nescio an potius exposuerit, genetiuum, nam reliqui casus nominatiuo similes erant, in comoediis usitatum non fuisse; quam obseruationem excerptores obscuram fecerunt, ut assolent. et re uera in Plauti Terentique comoediis tales genetiui non, quantum ego quidem sciam [1]), occurrunt. Praeterea palpetras pro palpebris posuisse dicitur (fr. 30), eodem sine dubio ueriloquio usus quo Lactantius, qui ipsum sequitur (de opific.

---

1) Vno Plauti (mil. gl. 271) loco in codice Ambrosiano ***Philocomasii custos*** legitur, ubi tamen Ritschelius ***Philocomasio custos*** (cf. 1431) cum reliquis libris maluit; quem locum mihi significauit Carolus Zangemeister.

dei 10)[1]) *ut igitur oculi munitiores essent ab iniuria eos ciliorum tegminibus occuluit unde oculos dictos esse Varroni placet. nam et ipsae palpebrae, quibus mobilitas inest et palpitatio uocabulum tribuit, pilis in ordine stantibus uallatae, septum oculis decentissimum praebent.* Denique de oxygaro (Mart. III 50, 4) uel oxycomina (Petron. fragm. Trag. 66 p. 79 Buech.) uel simili liquamine acuto (cf. Cato de re rust. 117. 118) dixisse uidetur (fr. 31). graeco uerbo ὄξος rarissime scriptores latini usi sunt, oliuum pro oleo antiqui poetae (ut Plaut. Pseud. 301. Lucr. II 391. Catull. 6, 8) dixerunt quod posteriorum aliquot imitantur.

Restat liber ille qui quasi prooemium totum opus exordiebatur. orationem esse natura tripartitam ibi Varronem exposuisse, initio libri octaui probatur ubi hoc *in superioribus libris* legi dicit, cui rei uix aptiorem locum inuenies. de uniuersa ergo oratione egit; quo loco de ratione, quae inter res et uerba intercedat, in qua re cardo totius doctrinae stoicorum uertitur, non potuit non disputare. peropportune igitur accidit, ut etiam hunc locum quomodo fere tractauerit, ex Augustino (fr. 1*) cognoscere possimus. uerbum uniuscuiusque rei signum esse statuit, quod ab audiente possit intellegi a loquente prolatum, omne ergo uerbum sonare; de sono autem uerbi (stoicorum locus *περὶ φωνῆς*) in his libris non esse agendum, sed de uerbo quantum ei res quaedam subiecta sit (stoicorum locus *περὶ πραγμάτων*). sequitur lubrica illa rerum uerborumque coniunctio, quae quasi per gradus quosdam uerbum dicibile dictionem rem amplectitur, quae uocabula graecis *φωνὴ λεκτὸν λέξις πρᾶγμα*

---

1) Etymologias in hoc Lactanti libello obuias cur non ad libros de l. l. rettulerim, quamuis cap. V libri ad Ciceronem laudentur, nunc accurate exponere longum est. uerbo moneo omnes ad hominum membra pertinere et cum artissime inter se cohaereant cum loco cap. 12 (cf. Censorin. de die nat. 6, 1) ad Tuberonem de origine humana (cf. Censorin. 9, 1. Ritschl de Varr. logist. p. XI) referendas esse.

(L. D. VII 57) respondentia, num a Varrone sumpserit Augustinus pro certo adfirmare non audeo. deinde pluribus de uerbis disputare debuit, ibique fortasse unam uel plures etymologiarum posuit, quas Augustinus habet, quarumque illas quae a uero uerbum ducunt huic loco perquam aptas Varronique quasi surreptas esse uides. a uerbo ad tres praecipuas disciplinas, quae ad uerba spectant transiit, cui argumenti quod tractandum sibi sumpserit circumscriptioni breuem sine dubio omnium librorum conspectum subiecit (cf. Augustin. de ciu. dei VI 3. A. Popma biblioth. uarr. p. 500).

De postrema hexade aliter ac nos statuit O. Mueller (praef. p. L); cum enim syntaxin Varronis tempore minus elaboratam fuisse, quam ut duodecim libris a Varrone potuerit tractari sibi persuaserit, 'ad usum uocabulorum et orationis ornatum et similia eum transgressum' esse existimauit. quam sententiam secutus Ritschelius (nou. mus. Rh. VI p. 526), cum ita Varronem promissis *tres* fore totius operis partes non stetisse uideret, hanc inconstantiam firmissimum argumentum iudicauit ad stabiliendam O. Muelleri coniecturam (praef. p. I sq.), numquam hos libros absolutos et a scriptore editos esse. quem scrupulum nescio an disputatio nostra exemerit. de illa uero sane speciosa coniectura O. Muelleri, libros nostros cum scriptor a. u. c. DCCVIIII proscriptus esset e bibliotheca protractos esse paucis disputabo, nam optime de eadem re nuper L. Spengelium (ueb. d. crit. d. uarr. buech. de l. l. Abhdl. de bayer. akad. I. bd. VII, II p. 443 sq.) dixisse uideo. Primum et de tempore quo hoc opus absoluerit Varro et de ipso opere sagacius iudicauit O. Mueller quam uerius. Cum enim Varronem post pugnam Pharsalicam a. u. DCCVI (cf. L. Roth leben d. Varro p. 21) ad libros et studia reuersum esse ex ipsius Ciceronis testimonio in epistulis ad Varronem (ad fam. VIIII 1, 2. 6, 4) constet, ex eiusdem uero querelis (Acad. post. I 1, 2 et epistula ad Att. XIII 12,

quam N. Maduig praef. Cic. de finib. p. LX n. mense Quinctili scriptam censet) a. u. DCCVIIII iactatis, se nescire quid, immo num quid Varro quamuis iamdudum id pollicitus ad se scriberet, nihil efficiatur, nisi tum M. Terentium opus quod moliretur nondum transmisisse et quid elaboraret tacuisse, non erat cur O. Mueller p. V. VI dubitaret, maiorem operis partem iam tum Varronem absoluisse, sed consulto, ut tanta librorum mole simul transmissa inprudenti stimulatori ruborem adferret, retinuisse et biennio proximo (a. u. DCCXI mense Decembri Cicero necatus est) edidisse. et traditum esse uidetur altera demum anni u. DCCX parte uel postea, nisi Ciceronem eadem qua Varronem ad scribendum excitauerit inmodestia de opere sibi misso iudicasse existimes, qui in libro primo de gloria, mense Quinctili anni u. DCCX scripto (cf. E. W. Fischer roem. zeittaf. p. 321), oppida quod opem darent esse dicta (Fest. p. 202 Oppidum) posuit, *adiciens ut imitetur ineptias* (*inertias* sch. Laeti) *stoicorum.* (cf. de l. l. V 131 p. 143). Etiam de 'ingente opere' paullo aliter ac Mueller putauit statuendum est. nam si tantum temporis, quam ille eum in hoc collocasse uoluit, in singulis operibus consumpsisset, uix dimidiam partem quomodo perfecerit librorum, quos eum edidisse O. Muelleri tempore minus qnam nunc constabat, uix est perspicuum. huius autem operis indoles profecto non ea est, ut plus laboris quam alia sibi uindicasse concedamus. quae enim graeci philosophi et grammatici de graeca elaborarant lingua in latinam transtulit, quorum uestigia quam arte sequatur uel ex paene puerili modo contra pro de rebus disputandi adparet. singularum rerum autem permultae tritissimae ei erant, alias ex collectionibus non ad hos tantum libros conscribendos confectis hausit, ut totum fere librum septimum ex schedis, in quibus poetarum γλώσσας conlegerat (cf. O. Mueller praef. p. XI. Ritschl parerga plaut. I p. 77. 180), alias ex libris ab ipso editis repetiit,

uelut libri sexti (86 p. 262 sq.) locum de tabulis censoriis, quem ibi positum mirabere, e libro antiquitatum humanarum XX transcriptum esse e Noni (u. sortirent p. 471 M) testimonio (cf. W. Christ philol. XI p. 451), et non pauca de diebus festis in eodem libro ex eisdem antiquitatum libris, ad quos bis (VI 13 p. 195. 18 p. 200) lectores relegat, fluxisse adparet.

Deinde O. Mueller ad indicia partim e natura orationis et expositionis, partim e rebus traditis ducta transit. Duo inuenit e rebus sumpta, quorum alterum nullius est momenti, alterum contra eum pugnat. primum enim, cum inter omnes qui grammaticorum graecorum et latinorum scripta nouerunt, quam saepe eadem repetere et de eisdem inter se pugnantia scribere soleant, constet (cf. K. Lehrs nou. mus. Rh. II p. 119. Herodiani scripta III p. 417 sq.), talia inde (p. VII) effici non possunt. Alterum e temporum rationibus ductum est. cum e mensis intercalaris (VI 13 p. 195) mentione librum ante Caesaris fastorum emendationem scriptum esse uideret, quod conprobauit Th. Mommsen [1]), repugnare existimauit haece (VI 22 p. 204): *Saturnalia dicta ab Saturno quod eo die feriae eius, ut post diem tertium Opalia Opis,* quod Varronem Caesaris fastos secutum postea disputationi addidisse putauit. in quo eum non offendit, quod Varro qui etiam de re rust. I 28, 1, quos libros eum DCCXVI uel postea scripsisse constat, de Caesaris fastis loquens adiciat *dies qui nunc sunt* illud continuo post correctos fastos tam nude posuerit. Saturnalia quidem et Opalia eodem die antiquitus fuisse

1) Vsus est loco VI 20 p. 201 (roem. chronol. p. 235. p. 16) ubi in codice Vinalia rustica *a. d. XII kal. Septembr.* agi dicuntur, quod male correxit Augustinus in *a. d. XIIII kal. Sept.*, qui in fastis correctis illi respondebat. idem quamquam intellexit L. Pontedêra antiq. lat. graec. enarr. p. 317 nugis a uero abduci se passus est; nihilo minus praeclare eum rem demonstrasse iudicauit I. G. Schneider uita Varr. in script. rei rust. I 2 p. 230.

testatur Macrobius (sat. I 10, 18), quod Caesarem ita mutasse ut illa die quo semper fuerant relinqueret, haec transferret, uereor ne citius Popmae (ad h. l.) hoc contendenti non demonstranti O. Mueller crediderit. et re uera nihil de tali mutatione traditum est, sed Caesar omnes quantum sciamus dies festos integros reliquit. contra Augustum Macrobius (I 10, 4. 23), cum post Caesarem Saturnalia alii eodem die quo antea, alii eo qui tum ut antea notabatur, deinde omnes pluribus diebus celebrarent, per triduum festos dies instituisse testatur, eundemque ut principium et finem certo definiret, Opalia transtulisse existimo. similiter iudicauit R. Merkel praef. Ouid. Fest. p. XVIII, quem secuntur I. Marquardt R. A. IIII p. 460, L. Preller roem. myth. p. 416. hanc autem Augusti mutationem cum quibusdam aliis coniunctam probabiliter Merkel l. l. p. IIII ad fastorum ordinationem ab eo factam rettulit eamque a. u. DCCXXXXVI adscripsit. quod si uerum est, illa a Varrone, qui DCCXXVI mortuus est, scribi non potuerunt. sciolus ergo quidam Varronem, non Varro se ipse correxit illiusque uerbis addidit *post diem tertium*, quibus deletis reliqua *ut Opalia Opis* optime se habent. hunc autem unicum locum cum adferre posset, ante a. DCCVIII libros scriptos esse constat.

Restant ea quibus uestigia operis nondum absoluti et additamenta posterioris retractationis agnoscere O. Mueller sibi uisus est. ex his uero solis quidquam efficere uelle quam periculosum et lubricum sit apparet in opere tam misere corrupto turbato truncato interpolato, quam uix aliud. sed etiam quae huius generis Mueller in praefatione tamquam grauissima collegit nihil probant. quid eo efficitur, quod Varro in extremo libro septimo post Naeui Enni quoque Plauti aliorum γλώσσας ponere uoluerit (p. XI), hae autem desint? potuit hoc facere, expectares fortasse factum esse, sed non fecit. nisi forte et hoc loco librarii cuiusdam pigritia reliqua a scriptore addita omisit. nec

firmius argumentum esse (p. X) dispositionem libri septimi non prorsus cum diuisione quinti sextique congruentem, uel ex eis quae de libro VIII et VIIII disputaui adparet[1]). Additamenta uero tria p. VIII sq. significauit (nam e locis VI 70 p. 247. X 18 p. 554 sq. nihil colligi posse quisque uidet), de quorum tertio, nam duos L. Spengel l. l. p. 19 a Muelleri incriminationibus uindicauit, pauca addam, ne quid ab eo prolatum intactum relinquam. recte intellexit (p. VIIII) locum VI 44 p. 222 sq. ut in codice scriptus extat, a scriptore profectum non esse. cum et p. 223 et p. 225 uerba memini et metuere explicari, illius autem interpretationes inter se discrepare uideret, ad coniecturam suam confugit haec altero loco, olim in margine a scriptore addita, perperam in textum inrepsisse et quae in codice ita se excipiunt, ut breuitatis causa eius paragraphis utar, 43. 44—49—46. 47. 48—45—50, sic transposuit ut paragraphorum 49 et 45 sedes inter se permutaret. leguntur 44 p. 222 haec *sic reminisci cum ea quae tenuit mens ac memoria cogitando repetuntur. hinc etiam comminisci dictum, a con et mente, cum finguntur in mente, quae non sunt, et ab hoc illud quod dicitur eminisci* (M. *reminisi* cod.), *cum commentum pronuntiatur. ab eadem mente meminisse dictum et amens, qui a mente sua descendit. hinc etiam metuo mentem quodammodo motam uel metuisti amouisti. sic quod frigidus timor, tremuisti timuisti. tremor dictum a similitudine uocis quae tunc cum ualde tremunt apparet, cum etiam in corpore pili ut arista in spica ordei horrent.* haec sic ferri non posse uides. accuratius examinanti interpolatoris manu deprauata ex sequentibus esse

---

1) Maiore cum specie ueritatis sane inconstantiam terminorum doctrinaeque grammaticae incongruentiam protulisset, quae tamen nil demonstrant nisi parum definitam ac rudem illo tempore linguam latinam in rebus grammaticis fuisse et in diuersis librorum partibus diuersos auctores secutum esse Varronem securum de praeceptorum discrepantia.

mihi constabat. quam multa autem librariorum et grammatistarum additamenta in libris nostris lateant docuit Spengel l. l. p. 12 sq. praef. Varr. p. XXXVIII sq. nec desunt exempla locorum ipsius scriptoris uerbis ex alio loco inlatis interpolatorum. ut in uerbis proxime antecedentibus (VI 43 p. 222): *cogitare a cogendo dictum, mens plura in unum cogit unde eligere possit.* [*sic e lacte coacto caseus nominatus*], *sic ex hominibus contio dicta* e. q. s. uncis inclusa ferri nequeunt. plura enim non coguntur in lacte ut caseus fiat, sed ipsum lac cogitur, uox *sic* ergo inepta. atque Varro semper fere in deriuationibus *a* praepositione utitur (in sequentibus cur id non fecerit adparet, praeterquam quod interest aliquid inter dicere et nominare) et in omnibus quae hic cum cogere conposuit uocabulis uocalem *o* seruauit, quod quamuis leuidense uideatur alicuius momenti est. sumpta sunt uerba ex libro V 108 p. 111 *caseus a coacto lacte ut coaxeus dictus.* similiter in eodem libro sexto 69 p. 246 uerba *spondet enim qui dicit a sua sponte: spondeo* repetita sunt e praemissis 69 p. 245 *spondere est dicere spondeo, a sponte, nam id ualet* (*ualet et* cod. cf. Spengel l. l. p. 29) *a uoluntate.* et 84 p. 261 quae leguntur *indidem puteus quod sic graecum antiquum non ut nunc φρέαρ dictum* e libro quinto 25 p. 41 inlata. cf. quae p. 17 de libri quinti 22 p. 31 dixi. sed redeo ad locum suprascriptum. uerbi metuo quae ibi profertur explicatio misere confecta est ex ea quae infra legitur *metuere a quodam motu animi cum id quod male* (*malum* F) *casurum putat refugit mens* (p. 225), sed ita ut neglecto hoc ueriloquio *mens* uocabulum prematur et tamquam etymon ponatur, a quo reminisci e. q. s. quoque ducta. deinde uerba nec ut scripta sunt sanam praebent sententiam nec quomodo talem efficias facile est dictu, nam uix quod Spengelius proposuit *hinc etiam metuisti, mentem quodammodo motam amouisti* placebit. grauissimum uero est, quod praeteriti persona secunda nusquam praeterea in uerborum etymologiis ponitur nec cur hic ponatur per-

spicuum est. eodem modo atque metuendi etiam meminisse uerbi explicatio conglutinata est ex infra scriptis (p. 225) *meminisse a memoria cum id quod remansit in mente rursus* (*mente in id quod rursus* male F ut diu intellectum), *mouetur*, nisi necessitate quadam lectori non plane dormitanti ac stupido, cum reminisci et conminisci uerba a mente duci uiderit, memini quoque uerbi eandem deriuationem in mentem uenisse mauis. haec igitur, adiecta amentis originatione quae in propatulo est et ab antiquis tradita (Fest. p. 158. cl. Paul. p. 23. Isid. orig. XI 1, 11) a librario sagacitate quadam ut ipsi uidebatur haec uerba ad mentem referente in locum nostrum quo uerba quaedam a mente ducta tractari uidit, ut Varronem quasi suppleret, inculcata sunt [1]). Quod autem ordinem quo singula cognatarum notionum uocabula coniungerentur O. Mueller desiderauit ideoque locorum transpositionem suscepit, ei rei Varronem operam non dedisse, docet uel *recordare* inter *curiosus* et *curiae* (VI 46 p. 424) uel *falli* inter *famam* et *famigerabile* (VI 55 p. 231) interpositum et multi libri quinti praesertim loci.

---

1) Inpeditius est iudicium de sequentibus uerbis, quae nec cum reiectaneis nec cum antecedentibus coniunctione *sic* coniungi potuerunt, cum ne minima quidem similitudo inter illa et haec intercedat. praeterea suspitionem mouent praeterita, ut dixi, non nisi hoc loco obuia et iam ab Henrico Stephano Varrone indigna iudicata *quasi quicunque metuit, etiam tremat.* sed caue ne haec quoque praeter uerba *tremuisti timuisti* ab interpolatore orta existimes, nam ille suam doctrinam e Varrone hausit, talia autem nusquam leguntur, et non sunt ueriloquia a mente ducta, quae illum adamasse uidimus. uereor autem, ne interpositis illis nugis quaedam exciderint. cum enim transitus a reminisci comminisci uerbis ad tremorem nullo addito uerbo durior uideatur, quam quem in tali etiam scriptore feras, *sic* illud fortasse ad omissa quaedam spectauit et uerba cum sequentibus coniungenda sunt: *sic quod frigidus timor, tremor dictum a similitudine uocis, quae tunc cum ualde tremunt apparet.*

Si qui uero abruptum et neglegens scribendi genus premunt, monendi sunt, Varronem omnem ornatum et elegantiorem enuntiatorum coniunctionem consulto uitasse et quasi defugisse (cf. G. Scioppius consult. de schol. et stud. rat. p. 50. Th. Mommsen roem. Gesch. III p. 565) eumque Ciceroni de industria obnixum esse, praeterea autem de omnibus subtilioribus certi quidquam statui (cf. W. A. Becker ztschr. f. altthw. 1845 p. 992. Spengel ibid. 1846 p. 143) ante non posse quam de Florentini codicis (cf. A. Mai praef. ad Cic. de republ. Romae 1822 p. 20; W. Corssen orig. poes. Rom. p. 54; Spengel emend. in Tacit. p. 4) singulis locis constet, quam ob rem uir cl. qui olim et nuper de Varrone optime meruit, ut editionem quam intus seruat in lucem edere uelit, etiam atque etiam rogandus est.

Haec si probabiliter disputata sunt, omnia O. Muelleri argumenta ipsamque coniecturam festinantius quam circumspectius prolatam concidere uidimus. neque uero perspicuum est, quomodo hos libros in lucem rediisse et ad nos uenisse cogitauerit, qui praef. Festi p. XXX Verrium Flaccum eis usum esse negat, ‘quia delitescebant etiamtum uel non ea auctoritate in publicum editi erant, ut Verrius Varronis nomini praefixo satis confideret’. plane uero necesse est, eos aut mox post illam spoliationem ab eo qui quominus tum interirent prohibuerat prolatos esse, et Varronem qui tria post hanc calamitatem lustra uidit eos siue agnouisse siue deleuisse, aut nunquam conparuisse. non magis intellegitur quomodo tam mirum fatum eruditis posterioris temporis prorsus incognitum esse potuerit, nam sane Quintilianus, si hos libros nunquam a Cicerone [1]) lectos, immo diu post eius et si fieri potuisset Varronis mortem protractos esse conpertum habuisset, non scripsisset *sed cui*

---

1) Nihil ex silentio in Ciceronis epistulis effici monuit L. Roth leben d. Varro p. 25.

non post Varronem sit uenia, qui agrum quia in eo agatur aliquid, et graculos quia gregatim uolent, dictos uoluit persuadere Ciceroni (ad eum enim scribit), cum alterum ex Graeco sit manifestum duci, alterum ex uocibus auium? (I 6, 37. de l. l. V 34 p. 35. 76 p. 81.) Erant autem in Varronis manibus, ut epitome docet, erant in doctorum manibus, ut primus Vitruuius testatur, qui circa DCCXXVII scripsit (cf. Fischer l. l. p. 382. Lachmann ant. mus. Rhen. VI p. 107) praef. libri VIIII p. 241 Schn.: *item plures post nostram memoriam nascentes cum Lucretio uidebuntur uelut coram de rerum natura disputare, de arte uero rhetorica cum Cicerone, multi posterorum cum Varrone conferent sermonem de lingua latina,* quibus uerbis nisi libros nostros [1]) significauit, nullam profecto causam habuit, cur non potius antiquitates laudaret uel Varronem Nigidio Verrioque praeferret, quorum libri Varronianos si nostros excipias numero superabant et pariter aestimati erant. Verrium Flaccum libris his usum non esse O. Muellero concedo (qui quidem paullatim tantum in memoriam reduxisse uidetur hoc solum cum inuento illo conuenire; uid. adn. Festi qu. XI 2, 8. XIII 28, 32. praef. p. XXX n.): quamquam [2]) enim permulta (cf. praecipue de l. l. VII 32 p. 354 sq. Fest. septentriones p. 339^{b}) prorsus consentiunt, certi quid uix statui potest, cum non modo utrumque opus ualde truncatum sit, uerum etiam uterque eisdem auctoribus, praeterea Verrius multis aliis Varronis libris usus sit, qui fere eadem praebuerunt. sed nihil inde

---

1) Quod negauit O. Mueller praef. Festi p. XXX n. uid. contra eum disputantes Lachmannum l. l. Spengel l. l. p. 21. C. Lachmann Vitruui commotus testimonio. existimauit statim post Varronis mortem opus, quod scriptor non prorsus perpolitum reliquisset, editum esse et hoc nixus fundamento singulari modo textum tractauit, de quo optime iudicat Spengel l. l. p. 21 sq.

2) Aliter placuit L. Mercklino in indice lect. Dorp. 1858 cui mirum inscripsit titulum 'de tralaticio Varronis scribendi genere' p. 9 sq.

efficitur. consulto enim hos libros neglexit, quos praecipue ad interiores linguae rationes spectare, a suo igitur consilio alienos esse et nihil inde sumi posse quod non melius aliunde intellexerit. in sequentibus temporibus [1]) nulla librorum nostrorum uestigia indagari posse, quia omnium qui talibus rebus studuerunt omnia scripta perierint, non est quod moneam. postea Remmius Palaemon, cui Quintilianum discipulum Varronis inpugnationes debere existimo, Plinius Gellius eos tractarunt.

Ἐπιτομὴν de lingua latina ex libris (X)XV libros VIIII quam non nisi ex Hieronymi indice nouimus, ita ad maius opus accommodatam fuisse, ut praemisso libro singulari ternis illius libris singuli epitomae responderent Ritschelius nou. mus. Rh. VI p. 527 probabiliter statuit. tales epitomae amplorum operum non raro occurrunt. Philochorus ἐπιτομὴν τῆς ἰδίας Ἀτθίδος, Phlegon Trallianus uel duas Ὀλυμπιάδων siue Ὀλυμπιονικῶν scripsit, Theophrasti et Chrysippi plures memorantur. grammatici et aliorum opera contraxerunt ut Diogenianus Pamphili λέξεις, Aristodemus Herodiani καθολικήν, Serenus Philoxeni περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν, et ipsorum, ut Nicanor ex libris VI περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου unius libri epitomen fecit, quod cur ipsum praestitisse dubitauerit Th. Beccard de schol. in Hom. Iliad. Ven. p. 37, qui bene de epitomarum usu disputauit, non uideo. scribebantur, ut opera multorum uoluminum, quae legere multi laboris, quae emere paucorum bene nummatorum erat, quam plurimis patefierent. idem Varro consequi uoluit, ut hi libri optimum documentum sint, quantum ei interfuerit ciues suos linguam intellegere rationemque dicendi plane perspectam sequi. nempe ad uitae usum omnia eius studia spectabant. De libris ipsis nihil constat.

---

1) Apud Ouidium nonnulla e Varrone translata inuestigasse sibi uisus est R. Merkel proleg. Ouid. fast. p. CVI.

II

Libros de sermone latino quinque fuisse testatur Hieronymus et qui hoc opere usi sunt nullum librum supra quintum conmemorant praeter Rufinum in conmentario in metra Terentiana, opusculo perquam turbato (cf. F. Ritschl d. alexandr. biblioth. p. 139), ubi legitur (p. 379. 380 Gaisf. p. 2707 P.) *Varro in VII* et continuo post *idem Varro in eodem libro VII de lingua latina ad Marcellum.* sed corrigendum esse *UII* in *IIII* uidit O. Iahn ber. d. saechs. ges. d. wiss. II 1850 p. 114, cui scripturae aliquid probabilitatis infra accedet. titulum operis non esse de lingua latina sed eum quem supra scripsi Hieronymi et grammaticorum scimus testimoniis [1]) eumque eo consilio his libris inscriptum fuisse consentaneum est, ut pro argumenti diversitate a libris de lingua latina distinguerentur. uocabulum *sermo* uero scriptores romani pro conloquio posuerunt ut ipse Varro in Parmenone: *in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus* (ap. Non. p. 374 Poscere), qui etiam uocem sermo a conectendis uerbis ducit de ling. lat. VI 64 p. 241 *sermo opinor est a serie unde serta; etiam in uestimento sartum quod comprehensum; sermo*

1) Nonnullis enim locis (Gell. XVIII 12, 8. Acro ad Horat. art. poet. 202. Rufin. l. s. s.) laudantur *libri de lingua latina ad Marcellum,* ad quem libros de sermone latino scriptos esse Gellius (XII 6, 3. 10, 4) tradit. praeterea apud Gellium (XII 10, 4) et Charisium (p. 241, 27) legimus *de latino sermone*, sed uterque aliis locis (Gell. XII 6, 10. XVI 12, 7. Char. p. 103, 26. 124, 13. 126, 22. 135, 18. 205, 15) eundem quem Hieronymus ordinem tuetur.

enim non potest in uno homine esse solo sed ubi oratio cum altero coniuncta; cf. Isidor. de diff. uerb. 578. qua explicatione cum doceamur ipsum loqui uel effari in sermonis notione conprehensum esse, idem aliorum scriptorum consuetudo confirmat, praesertim Ciceronis apud quem sermo non solum cotidianum loquendi morem, uerum etiam ipsam uerborum prolationem significat, de orat. III 11, 40 'atque ut latine loquamur non solum uidendum est ut et uerba efferamus ea quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conseruemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit, sed etiam lingua et spiritus et uocis sonus est ipse moderandus. nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari neglegentius, nolo uerba exiliter animata exire, nolo inflata et quasi anhelata grauius. nam de uoce nondum ea dico quae sunt actionis, sed hoc quod mihi cum s e r m o n e quasi coniunctum uidetur'. II 59, 241 'est autem haec huius generis (sc. narrationis) uirtus ut ita facta demonstres, ut mores eius de quo narres, ut s e r m o, ut uoltus omnes exprimantur, ut eis qui audiunt geri illa fierique uideantur' [1]). eandem quam altero loco pronuntiationis uim sermo habet in Nigidi Figuli, scriptoris in multis rebus Varronem secuti (cf. M. Hertz de Nigid. Fig. stud. et operib. p. 12 sq.), conmentariis grammaticis in Gelli XIII, 6, 3 'rusticus fit s e r m o si adspires perperam'. ex ipso igitur librorum indice non inprobabiliter efficeres, ibi praecipue eas esse tractatas quaestiones quae ad rectam uerborum pronuntiationem et puram elegantemque latinitatem pertinent. quod si paullo accuratius circumscribimus, Ciceronis uerbis quae modo excripsimus usi, Varroni agendum fuisse de uocis sono de spiritu de

1) cf. I. C. Ernesti lex. technol. lat. rhet. p. 354. L. Doederlein lat. synon. u. etymol. IIII p. 22. Cic. orat. 20, 67. 23, 79. 45, 154. de orat. III 11, 42. ad Herenn. III 13, 23. Quint. inst. or. VIII 3, 40 sq. cl. 3, 15 sq.

litteris recte exprimendis de uitiis orationis uidemus. quod argumentum cum optime conueniat cum eis quaestionibus quas stoici cum rhythmorum poematumque expositione ad dialecticae locum περὶ φωνῆς referebant (cf. supra p. 6), rationem quae inter libros de lingua latina et eos qui de sermone latino erant intercedat breuiter ita significare possumus, ut illis stoicorum locum περὶ πραγμάτων, his eorundem locum περὶ φωνῆς scriptor persecutus sit. quae sententia non eo spectat, ut et omnes res quas ibi stoici tractare solebant eosdemque solos uel praecipuos auctores secutus Varro hos libros conscripserit, sed priori illi operi alterum ex mente stoicorum tamquam necessarium supplementum addidit, ne neglectae sint leges quae ad linguam quatenus sonet et audiatur et conloquentium sit pertineant. quae argumenti definitio singulorum fragmentorum accurata examinatione et dispositione, ad quam nunc pergo, egregie confirmabitur.

Incipiam a prosodiis uel accentibus. quas cum certo Gelli XVIII 12, 8 (fr. 61) testimonio constet in his libris explicatas fuisse, ex eisdem sumptum est praeclarum fragmentum exquisitae doctrinae et antiquae artis refertum, quod Seruius quem dicunt seruauit in opusculo post Chr. Wasium in libro cui inscribitur Senarius siue de legibus et licentia ueterum poetarum e Seruii Ms. cap. de Accentibus (Oxonii 1687) p. 62 plenius ab Iosepho ab Eichenfeld et Stephano Endlicher in analectis grammaticis p. 525 sq. e codice Lauantino saeculi VIII uel VIIII (praef. p. XXV) edito. sed non solum codex hic tam neglegenter scriptus est, ut interdum de emendatione misere corruptorum uerborum desperes, uerum etiam libellus ipse magis excerptorum inconditorum quam iustae disputationis speciem praebet. quare primum quae in Seruiano opusculo Varroni tribuenda sint quaerendum est, deinde paucis eius referemus expositionem quorundamque locorum scripturam considerabimus.

Duae enim potissimum partes distinguendae sunt eaedemque prorsus diuersae et nullo inter se uinculo coniunctae, quarum altera rursus ex duabis particulis constat. primum enim Seruius docet quo accentu uocabula latina et graeca enuntianda sint (§ 1—6), deinde nonnullis de accentus et uocis natura interpositis (§ 7. 8), quomodo romani graeca uocabula extulerint (§ 9—15). altera parte doctissime de numero accentuum eorumque indole multis clarissimorum grammaticorum et philosophorum testimoniis adlatis disputatur (§ 17—30). quae uero priore particula de latinorum uerborum accentu proferuntur non modo similiter a Donato I 5, 1 p. 1741 P. Diomede p. 426 P. Prisciano de accentib. p. 1288 P. Mart. Cap. III 272 p. 62 Gr. exponuntur, ut posteriorum grammaticorum doctrinam hic haberi adpareat, uerum etiam cum Maximi Victorini capite [1]) de accentibus p. 1942 P. ita rebus uerbis exemplis consentiunt, ut alterum alterius librum expilasse manifestum sit, quem Seruium fuisse non dubium est. nam primum nullo modo explicari potest, qua de causa Seruius haud pauca de graecorum uerborum accentibus additurus in fine huius particulae uerba *est autem forma acuti accentus* . . . posuerit quae leniter mutata apud Victorinum re confecta suo loco leguntur. deinde haec prior disputatio (§ 1—6) cum altera (§ 9—15), ut paragraphos interpositas (7. 8) nunc mittam, non modo nullo uinculo conexa est, uerum etiam ab eodem scriptore profecta esse non potest, quia cum supra (§ 5) de graecorum uocabulorum graecis litteris scriptorum accentu actum sit, de eisdem graecis uocabulis quasi re prorsus integra denuo quaeritur. accedit, quod statim prima alterius particulae (§ 9) uerba *quod ad latinos accentus attinet siue statiuos siue commutabiles satis dictum* ostendunt hanc ex alio fonte ac priorem particulam fluxisse, nam accen-

1) Quod caput non suo loco legi recte iudicauit L. Spengel allg. schulzeitung 1832 II p. 285.

tuum mutationes ibi nullo uerbo tanguntur. quem fontem in grammaticorum libris, qui hanc rem aut brevissime ut Seruius § 5 expediunt aut omnino praetermittunt, frustra quaesiuimus. cum igitur de conmuni fonte, e quo Seruius plura pauca Victorinus mutuatus sit, cogitari nequeat Seruique libellum ab excerptore quodam neglegentur conpilatum esse praeter ea quae exposui doceant uerba abrupta paragraphi sextae statimque additum dictum Quintiliani [1]), quod hoc loco neque intellegi nec ferri potest, alteram particulam Seruium e Victorino sumpsisse alteram e scriptore nunc deperdito transtulisse censeo. neutra uero ex Varrone fluxit, si ea sequimur quae certis argumentis probari possunt. his igitur particulis reiectis ad alteram partem magna eruditione insignem (§ 17—30) transeo, quam praeter aliquot Serui additamenta totam e Varrone haustam esse Seruius ipse satis manifeste declarat, qui eius egregiam harum quoque rerum peritiam magnis laudibus effert eumque plurimis et clarissimis auctoribus usum esse adfirmat. utrumque ad mediam quidem prosodiam spectat, sed reliqua ab eodem esse accepta et res artissime inter se coniunctae et Varronis sententia de flexa prosodia § 22 prolata reconditiorumque auctorum doctrina de eadem prosodia e scriptore quodam doctissimo hausta et testimonia aliquot ex aliis scriptoribus repetenda docent. incipiunt

---

1) Serui uerba p. 526 § 6 sunt haec: 'Est autem forma acuti accentus . . . . uerbum hic non id intellegendum cui proprie grammatici tempus cum persona dicunt accidere sed accipiendum generaliter pro qualibet parte sermonis ut est a Vergilio (Aen. VIII 404) dictum *ea uerba locutus* et nobis mos est dicere *uerba aliquem fecisse*, cum omnem orationem uolumus intellegi'. quibuscum cf. Quint. inst. orat. I 5, 2: 'uerba nunc generaliter accipi uolo, nam duplex eorum intellectus est, alter qui omnia per quae sermo nectitur significat, ut apud Horatium (art. poet. 311) *uerbaque prouisam rem non inuisa sequentur*, alter in quo est una pars orationis *lego scribo*'.

autem Varroniana his uerbis (§ 17) *Quot ergo sint prosodiae dicendum est.* quae enim praecedunt[1]), quamuis ea primo obtutu principium huius alterius disputationis esse facile contendas, partim Varronis sententiae repugnant, qui infra (§ 24. 8) uocis altitudinem sed non tempora syllabarum accentibus discerni dicit, partim e paragrapho prima repetita sunt, partim ad superiorem expositionem spectant. reliqua neglectis eis quae Serui esse res ipsa docet ad Varronem refero, cuius praeterea paragraphi illae duae prioribus particulis interpositae (7. 8) sunt, in quibus ex parte eadem doctrina recurrit et interiores uocis et accentuum leges tractantur, quibus cetera nituntur.

Vocem enim corpus esse Varro docuit (fr. 55) eique propterea triplicem obuenire extensionem, longitudinem altitudinem crassitudinem, in utroque stoicorum placita secutus[2]). longitudinem tempore et syllabis metiri, reliquis duabus conuenire accentum et spiritum dixit. omnia haec tria sine dubio pari subtilitate ac diligentia persecutus est, quorum unum tantum quomodo fere explicuerit Serui opusculo docemur. in accentu enim tria rursus respexit (fr. 59): materiam locum naturam prosodiae. ut omnia neglegenter et parum accurate excerpsit, hic quoquo multa omisit Seruius, duo prae-

---

1) Seruius § 16 p. 530: 'Accentus proprie qualitas syllabarum hoc est indicium tempora syllabarum, naturam positionemque significans. sunt enim tres: acutus grauis inflexus. hi a graecis *προσῳδίαι* dicuntur. ergo in hoc cognoscere debes, quaenam (quoniam *cod.*) littera uocalis capit (facit *cod.*) accentum secundum ordinem syllabarum cuiuslibet partis orationis primo loco, secundo uel tertio.

2) Laert. Diog. VII 55. *σῶμα δ' ἐστὶν ἡ φωνὴ κατὰ τοὺς στωικοὺς ὥς φησιν Ἀρχέδημός τε ἐν τῇ περὶ φωνῆς καὶ Διογένης καὶ Ἀντίπατρος καὶ Χρύσιππος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν φυσικῶν. πᾶν γὰρ τὸ ποιοῦν σῶμά ἐστι, ποιεῖ δὲ ἡ φωνὴ προσιοῦσα τοῖς ἀκούουσιν ἀπὸ τῶν φωνούντων.* VII 135. *σῶμα δ' ἐστί, φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ φυσικῇ, τὸ τριχῇ διαστατόν, εἰς μῆκος εἰς πλάτος εἰς βάθος· τοῦτο δὲ καὶ στερεὸν σῶμα καλεῖται.* cf. Stob. ecl. phys. I 15 p. 340. 350 Heer.

cipue diligentius excribere dignatus (fr. 60), quot accentus probandi sint et quae eius sit natura in uniuersum et earum quas omnes agnouerint. quod ad numerum prosodiarum adtinet Athenodorum peripateticum duas, Dionysium Thracem tres secundum M. Terentium probasse legimus, Tyrannionem uero Amisenum quattuor statuisse, praeter tres nimirum notissimas mediam quae inter acutam et grauem interposita sit, eiusque auctoritati Varronem se adplicuisse multaque ad eam defendendam protulisse. seriem argumentorum aut non intellexit Seruius aut inuerecunde confudit, quae haec fuit: cum nihil in natura sine media sit parte, nulli igitur corpori ea desit, uox autem sit corpus, in hac quoque mediam prosodiam esse debere. deinde de musica, quae ei imago prosodiae est, sic fere scripsisse traditur: ʻneminem musicum esse, qui mediam uocem in cantu ignorauerit nec quemquam potuisse dicere in sono chordarum aut uoce tibiarum[1]) assaue (uoce quarum aliaue *cod.*) uoce cantantium μέσην esse, si non in omni uocis natura esset medium minimeque mirum, ut in

1) Ita scribendum est. nam neque hoc loco Wasii *buccinarum* nec paullo inferius Vindobonensium *cithara auditur quia* idoneum est. tibiae, quae uox etiam infra p. 533 *tiuia* (correctum ex *uita*) scribitur, in his rebus ubique conmemorantur, et Varro hoc loco notissimorum organorum musicorum exemplo demonstrare uolt, quid sonus medius sit. μέση autem primitus nominabatur media chorda heptachordi eiusque sonus (Varr. de l. l. X 46 p. 571. cf. fragm. post Censorin. 12, 3 p. 90 Iahn. R. Westphal harmonik u. melop. d. griech. p. 84 sq.), postea erat certa notula musica cuiusuis organi, quamquam iam in octachordo nondum media erat, ut aut metuam ne nomen magis quam rem Varronem respexerit, aut hic quoque uestigia singularis neglegentiae Seruianae notandae sint. noli autem mirari quod tam audacter *illa quae* in *illum qui* mutaui; in archetypo enim e quo codex Lauantinus descriptus est uerba admodum breuiata legebantur, unde uerborum exitus saepissime corruptos esse adnotatio nostra critica docet. num autem in extremis uerbis recte Varronis mentem adsecutus sim qui rei musicae me peritiores sunt uideant.

hanc multorum sensus non aduertat, cum illum qui (illa quae *cod.*) in cithara aut tibia (quia *cod.*) aliquanto uberior est, saepe totum non sentiat meatum'. minus quidem reliquis prosodiis notam esse pergit, sed primum omnium rerum initia obscura et *μέσην* initium cantus esse, quae nescio an ad concentum fidium spectent, de quo cf. Westphal l. l. p. 109, deinde omne medium non facile cerni. praeterea auctoritatem doctissimorum scriptorum hanc prosodiam tueri eamque conmemorari praeter alios a grammaticis Glauco Samio et Hermocrate Iasio, a peripateticis Athenodoro et Theophrasto. addere poterat Aristotelem (rhet. III 1) nisi hic flexam quam omittit *μέσην* nominauit uel generaliter uocis humanae sonos intellexit [1]) (cf. classical journ. XI p. 73). praeterea non absimilia apud Aristoxenum repperisse uidetur Vitruuius (de archit. V 4, 2), qui quidem auctorem suum non admodum perspicue reddidit. a media prosodia ad flexam transiit subtilissimeque de eius natura quaesiuit, orsus a Glauci Samii sententia, qui sex protulerit prosodias. tres enim harum tralatitias acutam grauem mediam, reliquas uero diuersas tantum formas unius flexae esse, quam Eratosthenes ex acuta in grauem, Theodorus contrario quoque cursu moueri existimauerit. Theodori decretum Varro adsciuit sed singulari ratione excoluit: 'ceterum (eam) Varro in utramque partem (utraque parte *cod.*) moueri arbitratur, neque hoc

---

1) Eadem quae Glaucus Samius prosodiis prioribus dederat nomina recurrunt in fragmento quod ex eodem fonte, Herodiano ut uidetur, atque Arcadii qui dicitur liber uigesimus fluxit et secundum codicem Parisinum 2603 a Goettlingio ad calcem Theodosii p. 202 sq. editum est. ibi leguntur haec: *ἡ προσῳδία οὖν φησι τάσις ἐστὶ φωνῆς ποιά, ἤγουν ποιότητά τινα ἔχουσα· ἢ γὰρ ἐπιτεταμένη ἐστὶν ἢ ἀνειμένη ἢ μέση, τουτέστιν ἢ ὀξύτονος ἢ περισπώμενος.* extrema uerba excerptoris stupiditati tribuenda esse prioribusque nullo modo conuenire adparet, cf. Georg. Choerob. I p. 17 Gaisf.: *οἱ γὰρ κύριοι τόνοι τῶν λέξεων δύο εἰσὶν ἤτε ὀξεῖα καὶ ἡ περισπωμένη· ἡ γὰρ βαρεῖα οὐκ ἔστι λέξεως τόνος ἀλλὰ συλλαβῆς.*

(hic *cod.*) facile fieri sine media, eamque acutum plerumque esse potius quam grauem, quod ea propius utramque est, quam illa superior et inferior inter se'. in quibus uerba *eamque acutam plerumque esse potius quam grauem* aut tollenda sunt aut corrigenda, quae et in sequentibus prorsus negleguntur et per se inepta sunt, nam prosodiam quandam, quae plerumque acuta interdum grauis est, peculiarem sane nemo dixerit. acrius locum intuenti et a uerbis *quod ea propius utramque est* proficiscenti non dubium tibi uidebitur in uerbis illis suspectis aliquid de transitu acutae et grauis ad mediam ut quae utrique propior sit dictum fuisse et tale quid contextui necessarium esse. putabam igitur *eamque acutae plerumque coiisse potius* scribendum esse, sed cum perfectum nusquam in hac expositione conpareat, tam leni remedio non defungimur, sed aliquanto liberius procedendum et sic fere scribendum est: *eamque acutae coniunctam plerumque esse potius*, qua ratione si non uerba certe sententiam scriptoris recuperatam esse mihi est persuasum. unum quidem restat. de acuta sola enim dicitur, quamuis ex sequentibus *quod ea propius utramque est* satis eluceat utrique prosodiae eam propiorem esse quam alteri acutam alteri grauem. sed hoc quominus a librario peccatum mihique sanandum ducam excerptoris prohibeor socordia, qui num haec religiose ut debuit rettulerit uel omnino intellexerit ualde dubito. Varronis autem disputationem hanc fuisse uides, cum media prosodia et acutae et graui propior sit, quam quae utrique est contraria, in flexa prosodia uocem plerumque non magnum illum transitum ab acuta ad grauem, a graui ad acutam facere, sed hunc minorem ab acuta ad mediam, a media ad grauem[1]). quae

1) Recte P. Langen in Fleckeiseni annal. 1859 p. 49 (cf. eundum de gramm. lat. praeceptis quae ad accentum spectant p. 6 sq. Lucianum Muellerum de re metr. poet. lat. p. 373) hunc locum corruptum esse uidit, sed ex ineptis uerbis inepta conligere quam emen-

quibusdam Serui nugis interpositis proxime de media uix suo loco leguntur, ad Varronem quamquam misere deprauata referenda existimo, quem de singulari natura acutae prosodiae disputasse eique reliquas opposuisse suspicor, ut ita mediam graui potius quam acutae conparauerit, nam altitudine eam non longius ab acutu, quam a graui abesse uidimus cf. Corssenum l. l. p. 242 [1]). his expositis de

---

dationem periclitari maluit. idem pauca tantum e Varrone Seruium hausisse contendit, e cuius opusculo num Varro flexam prosodiam statuerit perspici non possit. quorum alterum tota nostra disputatione refutatur, illud breuiter hic refellendum est. uerba § 21 p. 530 *in eadem opinione et Varro fuit* ad Tyrannionis opinionem quattuor prosodias esse spectant, nam alia Tyrannionis opinio non profertur, quare non uideo quid his verbis dictum sit, nisi easdem quattuor prosodias, itaque flexam quoque Varronem probasse nec quid neglegentia in re tam plana peccare potuerit intellego. manifestior alter locus est (*ceterum Varro* e. q. s.) de quo modo egi. quod enim ex tribus Glauci prosodiis quae uni flexae respondent duae tantum examinantur id fortasse Serui peccatum. largiamur uero hic non modo aliquid desiderari, sed de ipsa νήτη (ea uoce, quae quamquam male scripta aliter uix legi potest, quamnam uocis modulationem Glaucus significauerit obscurum est; νήτη in musica summus systematis sonus, in octachordo quam nos dicimus *octave* est cf. Westphal l. l. p. 84 sq.) Varronem agere, ut Langen uoluit; tum ipsa prosodiae huius descriptio docet, motum quendam in utramque partem ei tribui, nam hanc mutationem, quam H. Weilium et L. Benloewium théor. gén. de l'accent. lat. p. 14 dubitanter protulisse miror, nemo inprobabit qui de his rebus iudicare didicit. talis uero motus nec acutae nec graui nec mediae adscribi potuit sed soli flexae quam omnes fere grammatici (cf. Aristoph. Byzant. Pseudo-Arcadii p. 202 Schm. Diomed. p. 431, 6 K. Prisc. de accent. II p. 520, 2 K. al.) ex acuta et graui constare dicunt. quare si Varro hoc de quadam prosodia scripsit, utrum eam νήτην an περισπωμένην nominauerit nihil refert, re uera flexa erat. — Ceterum cf. de Serui opusculo et rebus ibi tractatis Weil et Benloew l. l. p. 5 sq. W. Corssenausspr. uocalism. u. betong. d. lat. II p. 202 sq.)

1) Weil et Benloew l. l. p. 13 uerba § 23 p. 533 *media quae*

prosodiarum natura et nominibus grauissimis auctoribus laudatis tractauit. prosodiam cuius uaria nomina apud Gellium XIII 6, 1, uarias definitiones habes apud Theodosium p. 61, totam in altitudine uocis positam ideoque musicis sonis finitimam esse dixit [1]), unde etiam

---

inter duas quasi limes est et infra § 24 p. 533 *inter has est* μέση, *latine media, quia limes est per quam duae supradictae ultro citroque commeant* ita intellexerunt, ut syllabas quae inter acutas et graues interpositae essent cum media prosodia efferri putarent. de talium syllabarum accentu nihil quantum e Seruio conligi potest a Varrone traditum, quem mediam altitudinem tantum sonorum spectasse idcircoque mediam inter grauem et acutam posuisse eamque utriusque quasi conpitum (§ 21 p. 531) duxisse uidimus. sine dubio media in quibusdam syllabis audiebatur sed ex opusculo nostro quae fuerint non patet. Langen l. l. p. 63 hoc inuentum Gallorum recipit indeque cum haec doctrina ueritati repugnet, ipsam disputationem Varrone indignam esse efficit.

1) cf. Aristoxeni elem. harm. I uel potius περὶ ἀρχῶν α′ p. 18 Meib. (cf. Porphyr. ad Ptolem. harm. l. l. p. 257. G. L. Mahne diatr. de Aristox. p. 179 n. Westphal l. s. s. p. 41 sq. P. Marquard de Aristox. Tarent. el. harm. p. 33 sq.) λέγεται γὰρ δὴ καὶ λογῶδές τι μέλος, τὸ συγκείμενον ἐκ τῶν προσῳδιῶν, τὸ ἐν τοῖς ὀνόμασι. φυσικὸν γὰρ τὸ ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι. Aristid. Quint. de mus. I p. 8 Meib.: τάσις δέ ἐστι μονὴ καὶ στάσις τῆς φωνῆς. ταύτης δὲ εἴδη δύο ἄνεσίς τε καὶ ἐπίτασις. ἄνεσις μὲν οὖν ἐστιν ἡνίκα ἂν ἀπὸ ὀξυτέρου τόπου ἐπὶ βαρύτερον ἡ φωνὴ χωρῇ· ἐπίτασις δὲ ὅταν ἐκ βαρυτέρου μεταβαίνῃ πρὸς ὀξύτερον. ἐκ δὴ τούτων τὰ γενόμενα τὸ μὲν βαρύτητα τὸ δὲ ὀξύτητα προσαγορεύομεν. cf. Sext. Emp. πρὸς μουσ. p. 756, 9 Bekk. Mar. Vict. IIII 2, 7 p. 2605 P. Dionys. Halic. de conpos. uerb. 11 p. 1126 Schaef.: διαλέκτου μὲν οὖν μέλος ἑνὶ μετρεῖται διαστήματι τῷ λεγομένῳ διὰ πέντε ὡς ἔγγιστα· καὶ οὔτε ἐπιτείνεται πέρα τῶν τριῶν τόνων καὶ ἡμιτονίου ἐπὶ τὸ ὀξὺ, οὔτε ἀνίεται τοῦ χωρίου τούτου πλεῖον ἐπὶ τὸ βαρύ. οὐ μὴν ἅπασά γε ἡ λέξις ἡ καθ' ἓν μόριον λόγου ταττομένη ἐπὶ τῆς αὐτῆς λέγεται τάσεως, ἀλλ' ἡ μὲν ἐπὶ τῆς ὀξείας, ἡ δὲ ἐπὶ τῆς βαρείας, ἡ δὲ ἐπ' ἀμφοῖν. τῶν δὲ ἀμφοτέρας τὰς τάσεις ἐχουσῶν αἱ μὲν κατὰ μίαν συλλαβὴν συνεφθαρμένον ἔχουσι τῷ ὀξεῖ τὸ βαρὺ, ἃς δὴ περισπωμένας καλοῦμεν, αἱ δὲ ἐν ἑτέρῳ τε καὶ ἑτέρῳ χωρὶς ἑκάτερον, ἐφ' ἑαυτοῦ τὴν οἰκείαν φυλάττον φύσιν.

nomina singulorum accentuum, quotcunque grammatici uel rhetores excogitauerint, facilem explicationem habere. in primis de acutae natura egregie disputauit quam graui breuiorem esse dixit, ut in organis musicis et citharae chorda tenuior acutiorem sonum habeat, et tibiae quo angustiores eo acutiores 'adeo ut corniculo uel *βομβυκίῳ*[1]) addito grauior sonus reddatur, quod crassior exit in aera'. pariter in pulsu chordarum citius acutam transuolare, et chordas quarum sonus grauior longiores esse, quod laxius tendantur. fistulae quoque calamos breuissimos acutissimos esse et tibias quo acutiores eo breuiores[2]), 'et his (ut Serui uerbis utar) foramina quam sunt ori proxima et breuioris aeris motum persentiscunt, tam uocem reddunt acutam; sic in loquentium legentiumque uoce, ubi sunt prosodiae uelut quaedam istamina, acuta tenuior est quam grauis et breuis adeo, ut non longius quam per unam syllabam, quin immo per unum tempus protrahatur'. per-

---

1) Ita scripsi pro codicis *bamborio* quod Vindobonenses in *bomborio* a *βόμβος* ductum mutare uoluerunt. *βόμβυξ* praeter phalaenam illam notissimam secundum Pollucem IIII 82. Hesych. u. *βόμβυξ* genus quoddam tibiarum, teste Polluce IIII 70. Pseudo-Arcad. p. 213 Schm. cl. Plut. quaest. symp. VII p. 317 A pars quaedam tibiarum est, quare diminutiuum, quamquam in hac significatione (bestiola est Aristoteli hist. anim. V 19. 24 al.) non occurrit quod sciam, eodem modo ac *βόμβυξ* pro tibiarum parte quadam usurpatum existimo, quae pars ut Arcadius l. s. et locus noster indicare uidentur eadem erat quam graeci plerumque *κέρας*, latini cornu uel corniculum nominabant. cf. Ouid. metam. XI 16. Hor. carm. I 18, 14. C. F. Heinrich ad Iuuen. VI 314. Aristotelis metaphys. *N* 6 p. 1093^b 3 scholiastam p. 832^a 45 recte explicuisse uix credo.

2) cf. Theophrastum in Porphyrii conm. in Ptolemaei harmonica ap. Ioh. Wallisium op. math. III p. 243 *Ὁ γὰρ μακρότερος αὐλὸς βαρύτερος, ἐν ᾧ πλεῖον τὸ πνεῦμα περὶ ὃ πᾶν ἡ κίνησις.* multa omnino huc facientia habes in Ptolemaei harm. I 2. 3 (l. l. p. 4 sq.) et Porphyrii conmentario in libri primi capita priora III p. 191 sq. — cf. Macrob. in somn. Scip. II 4, 5.

peram Vindobonenses haec in duo enuntiata discerpsisse uiderunt Weil et Benloew l. l. p. 10, sed quid lateat sub istamina uel stamina, quae frequens corruptio est, non adsecuti sunt. mihi non dubium uidetur, quin discrimina sonorum in uoce humana quibuscum singula tibiae foramina sonosque per ea emissos conparauerit, hic significanda fuerint, quae nos dicimus *intervalle* (cf. Aristox. l. l. p. 15), ideoque suspicor uocem graecam διαστήματα, quam non magis intellexit librarius quam omnia graeca, ita corruptam esse. denique de notis et ordine accentuum Varro disputauit. quod autem supra posui Varronem non solum de accentibus egisse, uerum etiam de spiritu et syllabarum longitudine et breuitate, id extrema libelli Seruiani confirmatur particula, qua de longitudine syllabarum diuersisque metricorum et rhythmicorum rationibus (cf. A. Rossbach griech. rhythm. p. 18) eum disputasse docemur.

Antequam quaerimus quo in libro has res scriptor persecutus sit, pauca de eius auctoribus et nostro Varronianae doctrinae auctore interponenda sunt. usus est Varro Tyrannionis[1]) libro, quem hanc tenuem θεωρίαν tractasse e Ciceronis epistula ad Atticum XII 6, 2 notum erat; minus certum uidetur num has quaestiones de generalibus prosodiarum legibus in libro περὶ τῆς Ὁμηρικῆς προσῳδίας, recte ad maiorem Tyrannionem relato ab H. Planero de Tyrann. gramm. p. 7, exposuerit. huius uero sententiam de quattuor prosodiis cum suam fecerit, non inprobabile est eum ex eodem libro haec illa de priorum grammaticorum placitis accepisse. ex his auctoribus non magis constat de Dionysio Olympio quam de Epicharmo Syracu-

1) cf. turbatam Suidae de Tyrannionibus glossam cl. W. Drumann gesch. Roms V p. 85. I. Hasenmueller de Strabonis geogr. uita p. 23 sq. I. Bernays d. dialoge des Aristot. p. 31. 150. cum uero Ciceronis epistula a. u. DCCVIII scripta sit (cf. F. W. Fischer roem. zeitt. p. 297), male correxit Suidam M. Schmidt Philolog. VII p. 365.

sano [1]). Glaucus Samius [2]) idem fuisse uidetur ac Glaucon Teius, ut eius patriam ueteres non certo explorasse uideantur, quem Aristoteles [3]) de actione uel de usu uocis in dicendo scripsisse testatur eundemque librum uel Tyrannio uel Varro inspexit. Theodori Byzantii, quem Plato (Phaedr. p. 226 E) *λογοδαίδαλον* uocat, artem rhetoricam (cf. Dionys. Hal. de Isaco 21 p. 211 Sylb. Cic. Brut. 12, 48. L. Spengel art. script. p. 98 sq.) in usum suum Varronem, ut ita breuitatis causa loquar, conuertisse puto, nam Theodorum *οὗ τὸ φωνασκικὸν φέρεται βιβλίον πάγκαλον* (Laert. Diog. II 103) Gadarenum uel Rhodium (cf. Quint. III 1, 7. G. Westermann gesch. d. beredsk. I p. 186 sq.) fuisse ueri

---

1) De Epicharmo litterarum iuuentore uid. Plin. VII 192. Villoison anecd. gr. II p. 187. Bekker anecd. gr. II p. 782. Cramer anecd. Oxon. IIII p. 400. cl. I. Franz elem. epigraph. graec. p. 21. F. A. Wolf proleg. ad Hom. p. LXIII. C. I. Grysar de Doriensium com. p. 157 sq. G. Bernhardy griech. litt. II 2 p. 461.

2) Alius erat Glaucus Rheginus uel Italus, Democriti Abderitae aequalis (Laert. Diog. VIIII 38) qui scripsit *περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν* (Plut. de mus. 4 cl. uit. X orat. p. 833 D). cf. R. Volkmann praef. Plut. de mus. p. XII. E. Meier opusc II p. 159.

3) De nominibus Glaucus et Glaucon uid. M. Sengebusch. diss. Hom. I p. 208. cf. Ritschl de Oro et Orione p. 3 sq. — Aristot. rhet. III 1: *τρίτον δὲ τούτων, ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν . . . . . δῆλον οὖν ὅτι καὶ περὶ τὴν ῥητορικήν ἐστι τὸ τοιοῦτον ὥσπερ καὶ περὶ τὴν ποιητικήν· ὅπερ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν καὶ Γλαύκων ὁ Τήιος. ἔστι δὲ αὐτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος, οἷον πότε μεγάλῃ καὶ πότε μικρᾷ καὶ πότε μέσῃ, καὶ πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ, καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστον*, ut fortasse a Glauco Aristoteles mediam prosodiam transtulerit. Glauci artis meminit schol. Plat. Phaed. (p. 108 D) p. 234 Herm.: *ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα τέχνη γραμμάτων, ἣν ἀνατιθέασι Γλαύκῳ Σαμίῳ, ἀφ' ἧς ἴσως καὶ ἡ παροιμία διεδόθη.* cf Zenob. II 91. hunc praue confudit scholiasta cum Glauco Chio, quem Herodot. I 25 (cf. Pausan. X 16, 1) *σιδήρου κόλλησιν* inuenisse dicit. (cf. Fr. Osann anecd. rom. p. 301.)

est simile. Ephorus quoque Isocratis discipulus in libro *περὶ λέξεως* (cf. Theo progymn. II p. 71, 22 Sp. Cic. orat. 57, 172. 57, 191. 64, 218) de rhythmo oratorio eodemque loco de accentu puto egit. paucissima de grammaticis dicenda sunt. de Hermocrate Iasio nihil conpertum nisi eum Callimachi magistrum fuisse (Suid. *Καλλίμαχος* cf. Mar. Vict. I 4, 96 p. 2468 P), Eratosthenes Cyrenaeus in libro musico uel mathematico (cf. G. Bernhardy Eratosth. p. 169) suam de flexo accentu sententiam exposuit, Dionysius Thrax de tribus accentibus uolgaribus in arte grammatica (Bekker anecd. gr. II p. 629 sq.) dixit, Ammonium Alexandrinum obseruationes de rebus prosodiacis fecisse scimus (Bekk. l. l. I p. 470. III p. 1006). restant peripatetici Athenodorus et Theophrastus, quorum alterum quamquam summi acuminis uirum usquam memoratum[1]) non inuenio, alter num de media prosodia in libro *περὶ τεχνῆς ῥητορικῆς* uel *περὶ λέξεως* (cf. Max. Schmidt de Theophr. rhet.[2]) p. 37 sq. H. Vsener anal. Theophr. p. 20) an in libris *περὶ μουσικῆς* locutus sit incertum est, ex his uero tantum non omnia de musicis organis et sonorum rationibus Varronem mutuatum esse admodum ueri simile est. his adnumerare licet Aristoxenum, quem in superioribus interdum testem protulimus; quamquam enim Theophrastus in musicis rebus ab aemulo suo magno non ita longe discessisse uidetur (cf. Aristox. ap. Boeth. de mus. V 3 p. 1288 Mign. Theophr. ap. Porphyr. l. l. p. 241 sq.), Varro sine dubio omnium musicorum principem non neglexit, cuius libros eum

1) I. A. Fabricius bibl. gr. III p. 472 unum profert Athenodorum cuius *περιπάτους* Laertius Diogenes ter quaterue adhibuit.

2) Frustra fragmenta rhetorica exceptis quattuor ex Demetrii *περὶ ἑρμηνείας* (p. 191) quaeris in fragmentorum Theophrasteorum conlectione, quam nuper edidit F. Wimmer, qui quamquam aliorum sollertia se fructum esse praedicat, ne Schmidti quidem librum l. s. l. nouit.

lectitasse infra quoque uidebimus. tot antiquissimorum et magnam partem reconditorum scriptorum libros consuluit uel saltem sententias rettulit, ut optime hinc quanto studio et quali eruditione hos libros conposuerit conligamus.

Num uero qui hanc doctrinae Varronianae particulam nobis seruauit ipse ex illius libris eam decerpserit ualde dubium uidetur. homini enim tantae neglegentiae, quantae opusculi nostri conpilatorem esse cognouimus, talem industriam uix tribuerim. uerum potius ex alio scriptore neque indocto homine, fortasse ipso Seruio Vergilianorum carminum conmentatore[1]), qui hunc antiquae eruditionis pannum cum ipsius temporum doctrina consuit, haec fluxisse existimo. quod etiam suadere uidentur quae de auctorum quorundam uita ut Dionysii Thracis et Tyrannionis (cf. Plut. Lucull. 20) hic leguntur, de qua Varro tacere uel breuissime ingenium scriptoris praedicare solet. talia autem opusculi conpilatorem multo posterioris ut genus scribendi prodit temporis uirum nec nouisse nec conquisiuisse arbitror.

Quaerentibus in quo libro operis de sermone latino haec disputatio posita fuerit quodam modo adiumento nobis est unus Acronis quem dicunt (cf. H. Vsener ind. lect. aest. Bern. 1863 p. VII) locus qui ad Horati artem poet. 202 sic scribit 'Varro ait in III disciplinarum et ad Marcellum de lingua latina quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, et se ipsum ait in templo (Apollinis) Marsyae uidisse tibias quattuor foraminum'. (fr. 60[A]) haec optime conueniunt cum eis quae apud Seruium de diastematis in citharis tibiisque et in humana uoce legimus, quo

---

1) In eo conmentario haud pauca occurrunt, quae ei particulae quam nostro opusculo peculiarem esse diximus similia (ut Aen. I 100. II 778. III 569. IIII 268. V 613 al.), in hoc uero omnia exempla e Vergilio sumpta sunt.

consensu Varronem in hac libelli Seruiani parte ubique fontem esse uides. numerum uero III Ritschelius quaest. Varr. p. 20 sq. ad libros disciplinarum, quorum tertius de rhetorica [1]) erat pertinere non posse censuit, itaque aut sic corrigendum ut liber septimus qui musicam tractauerit et sine dubio hic indicatus sit efficiatur aut ad alterum titulum referendum esse. VII autem cum non facile in III corrumpatur, alterum praeferendum est. quo testimonio lubrico quidem et non satis firmo donec idem reliquorum librorum argumento confirmabitur confidere liceat. praeter Acronis uerba cum Serui expositione coniungenda uidentur quae idem Seruius si quidem est idem ad Verg. Aen. VIII 618 (fr. 60[B]) e Varrone adscripsit (cf. C. Bartholini de tibiis uet. p. 54 sq. R. Volkmann ad Plut. de mus. p. 142 sq.)

In tertio igitur libro easdem res perlustrauit Varro quas antea Aristophanem Byzantium (p. 12 ed. A. Nauck, cf. C. Goettling lehre v. acc. d. gr. spr. p. 10 sq. A. Rossbach griech. rhythmik p. 33. F. A. Wolf proleg. ad Hom. p. CCXVIIII sq.) consociasse Arcadius quem dicunt testatur (p. 212 Schm.): τρίχα τεμὼν τὴν κίνησιν τῆς φωνῆς, τὸ μὲν εἰς χρόνους, τὸ δὲ εἰς τόνους, τὸ δὲ εἰς αὐτὸ τὸ πνεῦμα. καὶ τοὺς μὲν χρόνους τοῖς ῥυθμοῖς ἤκασε, τοὺς δὲ τόνους τοῖς τόνοις τῆς μουσικῆς (cf. Theodos. p. 204, 6 Goettl.). accentus igitur musicam naturam Aristophanem reliquosque quos supra recensui secutus agnouit neque in legibus generalibus inuestigandis se continuit sed etiam usum prosodiarum in singulis uocabulorum generibus eum explicuisse Gelli locus (fr. 61) a quo orsus sum ostendit. quod

1) In libri rhetorici parte de elocutione (cf. L. Spengel nou. mus. rh. XVIII p. 492) tibias conmemorari posse non prorsus negem. illud autem quod ad accuratam disputationem spectat in libro de musica fuisse sane multo maiorem habet probabilitatem, quare transpositionem illam recipere non dubito.

in reliquis quoque rebus sine dubio fecit. de syllabarum temporibus [1]) praeter ea quae Seruius habet quid docuerit dici nequit [2]). conmunem certe syllabam ab eo *mediam* esse adpellatam e Mario Victorino I 5 p. 30 G. p. 2471 P. suspicor, quem ne plura hoc capite e Varrone hausisse putes Luciani Muelleri uide disputationem (l. l. p. 16 sq.). ordinem autem rerum si Seruio est fides hunc instituit, ut primo de spiritu deinde de accentu postremo de syllabarum longitudine et breuitate ageret, quae ratio praeterea eo conmendatur, quod ita simplicissimum transitum ad sequentem sibi parauit librum.

Quartus enim liber de rebus metricis erat, quas Varronem explicuisse sat magnus fragmentorum numerus demonstrat, in hoc libro explicuisse euincit Rufini testimonium probabiliter emendatum (cf. supra p. 47). et egregia congruentia qua tam apte et conuenienter argumenta tertii et quarti libri sese excipiunt haud sane me-

1) De adspiratione infra disputabo.

2) In quo rerum conexu duo reliqua huius libri fragmenta fuerint difficile est dictu; fortasse de primae syllabae longitudine in *fenore* (fr. 62) locutus ad originem huius uocabuli ut adsolet transiit. ceterum Ludouico Mercklin d. citiermeth. d. Gell. p. 649. et Iulio Kretzschmer de Gelli fontib. p. 9 (cf. M. Hertz in Fleckeiseni ann. 1862 p. 715 sq.) Cloati Veri dictum Varroni Gellium debere negantibus adsentior. quod enim a Verrio Flacco (teste Festo u. obstitum p. 193. subuculam p. 309. molucrum p. 141 sacrima p. 318, posterioribus enim locis certissimum Vrsini supplementum; solus occurrit Cloatius u. obscum p. 189. piacularis p. 213.) saepe cum Aelio Stilone laudatus est, id in utramque partem ualet atque uter ab altero adhibitus sit non facile adfirmabis. neque e Varrone de l. l. V 102 p. 104 ubi conplura uerba latina e graeco ducta recenset, quorum quaedam a Cloatio tractata esse Macrob. sat III 18, 4. 19, 2 docet (cf. praeterea de l. l. VI 96 p. 277 cum Gelli XVI 12, 2), Varronem Cloati libris usum esse efficies, nam haec uterque ut alia mittam a conmuni auctore Hypsicrate (cf. de l. l. V 88 p. 90, M. Schmidt Philol. III p. 458. M. Sengebusch diss. hom. I p. 11 sq.) accipere potuit.

diocriter hanc rerum dispositionem firmare ac munire mihi uidetur.

Versus secundum Varronem (fr. 69) uerborum iunctura est, quae per articulos et commata ac rhythmos modulatur in pedes. quam definitionem qui proposuit praemittere debuit quid sint articuli commata rhythmus. propterea Varroni tribui quae apud Victorinum, quem Aphthonium dici mauolt Th. Bergk philolog. XVI p. 639 sq., hoc fragmentum praecedunt et de colis commatisque agunt (fr. 68). de differentia metri ac rhythmi M. Terentium dixisse certiores nos facit Diomedes (fr. 66), e quo testimonio de utriusque natura eum disseruisse sequitur. quae igitur apud Victorinum et Diomedem, ad quos frustula quaedam huius libri peruenisse iam uidimus, de hac re conuenientia inter se leguntur, probabiliter ad Varronem referemus. confirmatur autem hoc Augustini auctoritate, quem in libris de musica e Varronis libro de eadem re scripto hausisse recte uidit H. Weil in Fleckeiseni annal. 1862 p. 336. 344 cf. Bergk l. s. p. 641, praeterea ad eundem pertinent quae uterque de poetice (fr. 59) habet cl. Isidori orig. VIII 7, 3 et Varronis Parmenone ap. Nonium u. poesis p. 428. circumspecto uero in his rebus iudicio opus est, cum non solum omnes fere scriptores metrici latini a Caesio Basso (cf. O. Iahn comm. in Pers. sat. VI 1 p. 211 sq. H. Wentzel symbola crit. ad hist. script. metr. lat. p. 6. E. a Leutsch philolog. XI p. 739 sq.) pendeant, e quo Atilium Fortunatianum Diomedem Terentianum Maurum hausisse ostendit C. Lachmann praef. Terent. Maur. p. XVI. cf. Wentzel l. l., uerum etiam omnes cum bona et antiqua doctrina posteriorum temporum uana inuenta dubiasque uel falsas obseruationes miscuisse et confudisse constet (cf. A. Rossbach de metr. graec. disp. alt. p. 16 sq. R. Westphal d. fragm. u. lehrs. d. griech. rhythm. p. 102. 113. al. I. Caesar grundz. d. griech. rhythm. p. 273 sq. H. Weil l. s. s. p. 338 sq. Luc. Mueller de re metr. poet. lat. p. 16 sq.). praeterea Mari

Victorini ars grammatica de orthographia et metrica ratione et Diomedis liber tertius tam mire inter se consentiunt [1]), ut conmunem auctorem siue Caesius Bassus siue alius fuerit prodant. quibus omnibus consideratis in eis quae necessario uel saltem certis rationibus a Varrone repetenda sunt me continere quam omnia quae eo non indigna uidentur credule congerere malui.

In rhythmo definiendo Aristoxenum Varro secutus est. M. Terentio est enim 'rhythmus pedum temporumque iunctura uelox diuisa in arsi et thesi, uel tempus quo syllabas metimur' (fr. 64), Aristoxeno ῥυθμός ἐστι χρόνων τάξις (Max. Planud. in Hermog. id. V p. 454 W. cf. anon. schol. VII p. 892) uel χρόνος διῃρημένος ἐφ' ἑκάστῳ τῶν ῥυθμίζεσθαι δυναμένων (Bacch. p. 22 Meib.), quas generaliter positas definitiones eum ad rhythmum qui in uoce ualet pergentem ita circumscripsisse, ut Varroniana proxime ad eam accedat R. Westphal l. l. p. 86 sq. p. 101. cl. Aristox. rhythm. elem. p. 272. 276 Mor. ostendit [2]). etiam

1) Idem consensus cum Diomede in arte grammatica uolgo Maximo Victorino adscripta et post Putschium a Lindemanno in corpore grammaticorum lat. I p. 271 sq. edita conspicuus est (cf. L. Spengel allg. schulzeitg. 1832 II p. 286. F. Osann beitr. z. gr. u. roem. litteraturgesch. II p. 355 sq.). quare non tam inprobabile ab eodem scriptore duas illas artes profectas esse mihi uidetur, quam Osanno l. l. p. 371, qui tamen ipse eadem apud Marium et Maximum quibusdam locis recurrere concedit cf. L. Lersch ztschr. f. alterthw. 1840 p. 116. Wentzel l. l. p. 55.

2) Has definitiones cum Aristoxeneis quem ad modum ab ipso prolatae erant prorsus conuenire non magis adfirmare uolo, quam in his Varronis ipsa uerba seruata existimo. reputa enim, omnes fere metricorum latinorum definitiones inter se pugnare et hebeti iudicio nec rebus subtiliter perceptis esse perscriptas, praeterea singulos scriptores longe a primo fonte abesse, pluribus qui eadem retractauerint interiectis auctoribus, neque sane mirum tibi uidebitur Varronis doctrinam haud mediocriter deprauatam et deformatam esse. quamuis uero Aristoxeno Varronem usum esse mihi constet, omnia

in metro explicando, de quo quid Aristoxenus senserit ex Aristide Quintiliano [1]) (cf. A. Rossbach griech. metr. p. 13 sq.) conligendum est, ab hoc non discessit, nam metrum rhythmum modo finitum dixit (fr. 65), et hac definitione nixus quid inter utrumque discrimen sit accuratius exposuit (fr. 66). cum autem in metri definitione praecipuum ei sit quod finem habet, statim hoc loco eum disputasse existimo de finibus uel clausulis metrorum (fr. 67), de quibus cf. R. Bentley sched. de metr. Terent. p. 8. ad Terent. Adelph. IIII 4, 1. G. Hermann elem. doctr. metr. p. 181. 432. deinde partes quasi metri recensendae erant cola commata periodi (fr. 68), cf. Westphal philol. XX p. 79 sq., quorum colon est quod finitis constat pedibus, comma in quo pars pedis remanet, quae nomina constanter confunduntur, ut a Diomede p. 498, 10, immo a Victorino ipso qui statim post has definitiones (I 13, 2 p. 2498 P) *arma uirumque cano* colon adpellat, cum sit comma, cf. Atilium Fortunatianum quem dicunt II 28, 8 p. 2699 P. utrumque igitur ad caesuram spectat, quae si cum fine pedis conuenit colon, si in pedem incidit comma efficit [2]). uersum

---

quae in Victorini libris ex illo fluxisse Westphal (l. l. p. 91. 101. al. cf. harmonik u. melop. d. gr. p. 36 sq.) probauit Varroni tamquam ab hoc accepta tribuere nolui, quia etiam alios uelut Caesium Bassum ex illo, posteriores autem ex encheiridiis posteriorum Graecorum, qui iterum illum hic illic adhibere potuerunt, hausisse uel certum est uel probabile.

1) I p. 49 Meib.: *μέτρον μὲν οὖν ἐστι σύστημα ποδῶν ἐξ ἀνομοίων συλλαβῶν συγκείμενον ἐπὶ μῆκος σύμμετρον. διαφέρειν δὲ τοῦ ῥυθμοῦ φασιν, οἱ μὲν ὡς μέρος ὅλου, τομὴν γὰρ ῥυθμοῦ φασιν αὐτὸ, παρὸ καὶ μέτρον εἰρῆσθαι, διὰ τὸ μείρειν ὃ σημαίνει μερίζειν. οἱ δὲ κατὰ τὴν ὕλην· τῶν γὰρ γινομένων ἐκ δυοῖν ἀνομοίων τοὐλάχισιον γεννώμενον τὸν μὲν ῥυθμὸν ἐν ἄρσει καὶ θέσει τὴν οὐσίαν ἔχειν· τὸ δὲ μέτρον ἐν συλλαβαῖς καὶ τῇ τούτων ἀνομοιότητι.*

2) Vnde etiam adparet paullo inferius apud Victorinum (I 13, 6 p. 2498), quem omnino iusto corruptiorem edidit Thomas Gaisford,

autem a metro ita distinxit, ut eum caesura in duas diuidi partes diceret, quod in definitione uersus supra scripta a (fr. 69) Victorino ut omnia fere quae ad nos nunc pertinent obscuratum quamquam non prorsus deletum, manifestis uerbis Augustinus et Victorinus aliis locis tradunt (cf. H. Weil l. l. p. 336); cumque uocari a uersura et a dimetro ad hexametrum progredi uoluit. qui uero uersus faciant uates a uersibus uiendis nuncupari uel graece poetas a ποιεῖν (fr. 70), unde poetice quoque et poesis et poema sint ducta, quorum illa ars ipsa, altera perpetuum argumentum uersibus tractatum ut Enni annales, tertium carmen quodque uel minus uel maius sit. hoc secundum stoicos dictum esse docet Posidonius apud Laert. Diog. VII 60: *ποίημα δέ ἐστιν, ὥς ὁ Ποσειδώνιός φησιν ἐν τῇ περὶ λέξεως εἰςαγωγῇ, λέξις ἔμμετρος ἢ ἔρρυθμος μετὰ σκευῆς τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκυῖα· τὸ ἔρρυθμον δὲ εἶναι τὸ ʻΓαῖα μεγίστη' καὶ ʻΔιὸς αἰθήρ'. ποίησις δέ ἐστι σημαντικὸν ποίημα μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπείων* (cf. R. Schmidt stoic. gramm. p. 50. Lucil. ap. Non. u. poesis p. 428). breuiter tum quibus uersuum generibus poetae latini [1]) usi sint significauit, ut mihi

---

non inserendum esse: ʻpartes ergo uersus, cum ea qua *non* coniunctus erat parte dissoluitur, cola efficient; cum uero ea qua coniunctus erat parte absciditur particula quae diuolsa ex eo est comma dicetur, ut in illis uersus soluatur, in his caedatur'.

1) Noli autem putare ex hoc libro fluxisse quae in Diomedis libro tertio de tragoedia comoedia palliata (p. 487. 15. 488, 7. 489, 18) e Varrone leguntur (nam de satura p. 486, 8 liber quaestionem Plautinarum II laudatur). haec enim e Suetonio Diomedem sumpsisse constat (cf. A. Reifferscheid quaest. Suet. p. 370 sq. W. Christ philol. XVIII p. 161 sq.) nulloque prorsus uinculo cum reliquis uestigiis doctrinae Varronianae apud Diomedem coniuncta sunt. quae cum e libris de poematis excerpta uideantur, facile ad eosdem cum Isidor. orig. VIII 7, 3 reliqua quae de poetice poesi poemate libro nostro tribui referas nixus Varronis uerbis de l. l. VII 36 p. 325 ʻantiquos poetas uates appellabant a uersibus uiendis ut de p o e m a t i s

quidem uidetur. ad hunc igitur locum Rufini testimonium (fr. 71) de fabulis Plautinis et Terentianis (cf. F. Ritschl parerga Plaut. et Terent. I p. 359) refero.

His praemissis ad singula versuum genera transiit, quae eodem quo plerumque ea metrici latini ordine proferre solent, eum recensuisse puto, ut primum γένος ἴσον διπλάσιον ἡμιόλιον, deinde uersus conpositos tractaret. diligenter haec omnia persecutus est, ut fragmenta quae huc pertinere docuit Ritschl quaest. Varr. p. 34 sq. demonstrant. quid uero de singulis statuerit relliquiarum paucitas disceptare uetat. nam nihil fere de metris dactylicis traditum, pauca de iambicis, paucissima de conpositis. quamuis enim in Diomedis expositione de hexametro dactylico quaedam a Varrone repetita esse credam, praesertim quae de nominibus eius p. 494 sq. et incisionibus p. 497 (cl. Victorino I 19, 2 p. 2508 P.) leguntur, tamen minus certa sunt, quam quae in fragmentorum seriem recipienda duxerim. unum tantum superest frustulum quod huc spectat (fr. 72). Archilochum enim trimetro dactylico uel heroo unam syllabam addidisse et talem uersum effecisse tradidit 'omnipotente parente meo' quod metrum Seruius (centimetr. p. 369 Gaisf. p. 1820 P.) Alcmanium [1]) dicit, Archilochium contra tetrametrum dactylicum acatalectum spondeo finitum Seruius et Victorinus l. l. adpellant. e iambicis metris Varronem de senario locutum esse scimus, e quo additis tribus syllabis septenarius (fr. 73), praepositis duobus

---

cum scribam ostendam'. quamquam sine dubio ex libris de poematis sunt quae Isidorus l. l. habet ibidemque fortasse quae Victorinus (I 15, 1 p. 2499 P) et Diomedes (p. 473) cum his coniuncta fuisse ostendunt exposita erant, tamen non magis in dubio relinquit Victorini et Diomedis consensus eadem breuius opinor et quasi in transcursu in eo libro scripta fuisse cui omnia reliqua debent.

1) Quo nomine etiam tetrametrum dactylicum in dactylum desinentem intellegunt Seruius l. s. s. et Victorinus II 2, 33 p. 2518 P. cf. Rossbach u. Westphal griech. metr. p. 42.

pedibus iambicis octonarius (fr. 75) fieret. praeterea de nota quadam transuersa breuibus syllabis pro longis positis in septenario adscribenda egit (fr. 74), quod praeceptum apud Rufinum Diomedis de septenario testimonium excipit, nullo tamen cum hoc uinculo coniunctum est. 'non potest enim' ut Ritscheli uerbis (quaest. Varr. p. 35) utar, 'non hic esse utriusque nexus, ut a modo, quo septenarius fieret e senario, transiretur ad talium septenariorum commemorationem, quorum media syllaba breuis haberetur: qualium constat non minorem esse multitudinem, quam quorum media syllaba admisit hiatum. *in huiusmodi* igitur *locis* h. e. cum in mediis septenariis tum ubicunque breuis est pro longa syllaba, ut in extremis uersibus arsi terminatis, Varro poni iussit hanc notam metricam'; cf. G. Hermann l. l. p. 149 sq. ex senario iambico alium uersum nasci uoluit (fr. 76), quem Marius Plotius p. 270 G. p. 2642 P. dimetrum iambicum catalecticum Anacreontium dicit (cf. Serui centimetr. p. 366 G. p. 1818 P. Terent. Maur. 2480 sq.). si nouum carmen hoc Diomedes nuncupat id non de aetate qua primum eo usi sint ualere docet priscum carmen populare uirginum Bottiaearum ἴωμεν εἰς Ἀθήνας (Plut. quaest. gr. 35 cf. Rossbach u. Westphal l. l. p. 197) et Simonidis ἐβόμβησεν θαλάσσα (fr. 1 Bergk.), sed cum Ritschelio l. l. p. 36 carmen nondum conmemoratum intellegendum est. uersuum conpositorum a Varrone explanatorum unum extat exemplum (fr. 77). paroemiacum cum ithyphallico coniunctum (cf. Hermann l. l. p. 592. Rossbach u. Westphal p. 358) Archilochium metrum dixit (cf. Seru. cent. p. 376 G. ubi pessime Putschius p. 1825 *partheniaco* pro *paroemiaco* edidit). hae exiguae relliquiae disputationis Varronianae supersunt [1]), qua singula uersuum genera haud paucis sine

1) Non inprobabiliter quidem Ritschelius l. l. p. 36 suspicatus est plura Diomedem in capite de uersuum generibus p. 506 sq. Varroni debere, sed rationibus supra expositis obsecutus in eis quae conposui acquiesco.

dubio poetarum potissimum latinorum, ubi fieri potuit, exemplis additis percensuit.

Quem uero in rebus metricis auctorem praecipue M. Terentius secutus sit ex tam paucis relliquiis expiscari difficile est. si magis de Heliodori metrici aetate, de qua post Ritschelium d. alexandr. biblioth. p. 138 sq. nuper in uarias partes discesserunt H. Keil quaest. gramm. p. 14 sq. C. Wachsmuth philol. XVI p. 618 sq. H. Lipsius in Fleckeiseni ann. 1860 p. 609 sq., constaret, de hoc cogitauerim. eundem metricum ac rhetorem Horati comitem in itinere Brundisino (sat. I 5, 2. cf. I. G. F. Estrée Horat. prosopogr. p. 195) esse mihi quoque (cf. Th. Bergk nou. mus. rhen. I p. 374 sq.) ualde ueri simile uidetur et temporum ratio ut infra uidebimus non obstat, quominus huius uiri scriptis Varro usus sit, nam Horati saturam illam anno u. c. DCCXVII scriptam esse probauerunt C. Kirchner quaest. Horat. p. 58 sq. C. Franke fast. Horat. p. 96 sq. Varro autem artem metricam, quam praeterea in transcursu quasi tractauit, si magna Hephaestionis uolumina (cf. A. Rossbach d. Hephaest. Alexandr. libr. p. 8 sq.) conparamus, uix ipse primus constituit atque elaborauit, sed ut solet a graeco quodam scriptore transtulit, Heliodorus autem princeps *τῶν συμπλεκόντων τῇ μετρικῇ θεωρίᾳ τὴν περὶ ῥυθμῶν* (Arist. Quint. p. 40 Meib. cf. I. Caesar grundz. d. gr. rhythm. p. 226) fuisse uidetur, et ‘inter graecos huius (metricae) artis aut primus aut solus est’ (Mar. Vict. II 9, 8 p. 2541 P. cf. Westphal d. fragm. d. gr. rhythm. p. 12 sq.) quam ratiocinationem si non prorsus aspernaris addiderim, quod per se non magni momenti esse concedo, Heliodorum uersus iambicos de quibus Varronem quoque diligenter egisse uidimus, magna subtilitate persecutum esse, id quod demonstrat Prisciani libellus de metris Terentianis (cf. H. Keil l. l. p. 13), eundemque de dimetro catalectico disputasse eiusque exemplum Simonidis uersum supra conmemoratum (Prisc. l. l. II p. 428, 7) proposuisse, qui cum

exemplo quod Varronem adtulisse Diomedes testatur (fr. 76) etiam in spondeo secundo loco posito conuenit (cf. C. L. Schneider lat. gramm. I 1 p. 683).

Hoc uero argumento subtiliter tractato, satis amplo profecto et inpedito, Varronem totum librum quartum expleuisse arbitror. accedebat autem ni uehementer fallor aliud. non erat enim, cur in opere de sermone latino, quo tam accurate poetarum metra scriptorem inlustrasse uidimus, solutae orationis numeros neglegeret. in quibus explicandis antiquos haud mediocriter uersatos esse et inde a sophistarum Hippiae et Gorgiae temporibus praesertim qui de arte dicendi scripserunt huic doctrinae operam dedisse notum est (cf. Aristot. rhet. III 8. Cic. orat. 41, 140 sq. Quint. inst. orat. VIIII 4, 45 sq. E. M. Cope journ. of class. a. sacr. philol. III p. 51 sq.). Varronem autem non solum talia scripta ut Ephori περὶ λέξεως et Theophrasti libros in quibus prosae numeros tractauerat (cf. supra p. 61. Max. Schmidt l. l. p. 45 sq.) in hoc opere conscribendo consuluisse supra uidimus, uerum etiam ipsum opus siue titulum spectamus siue argumentum admodum simile et propinquum est eis libris, qui περὶ λέξεως inscripti artis rhetoricae partem de elocutione (cf. L. Spengel ueb. d. stud. d. rhetorik b. d. alt. p. 26) docebant (cf. E. Meier opusc. II p. 18. G. Westermann gesch. d. bereds. I p. 138. 171). in quibus cum orationis solutae numeros exponere solerent ex argumenti simillimi indole id Varronem quoque fecisse probabile est. grauius autem est, quod ab opere in quo puri sermonis praecepta danda erant prosae numeri, quorum scientia unicuique publice dicenti necessaria erat, non magis alieni erant quam poetarum metra. haec igitur cum a Varrone tractata esse sciamus, de illis satis probabiliter idem conligere possumus. testimonia certa et manifesta huius rei non repperi. non autem inconsiderate contendere mihi uideor alicuius momenti in hac quaestione esse Rufini locum qui in libello de metris oratorum e Cicerone et

Victorino maximam partem excerpto Varronem de numeris scripsisse testatur (fr. 78), quod in illo opusculo et rerum conexu de prosae tantum numeris accipi potest. Rufinum excerptorem quidem neglegentissimum et stupidum cum libris nostris uel ipsum uel quod magis placet aliis intercedentibus usum esse uiderimus ad eosdem hoc testimonium spectare existimo.[1]) quod fortasse aliquo modo Diomedis confirmatur auctoritate qui in libri secundi capite de conpositione, quamuis ibi constanter Ciceronis et Quintiliani libros rhetoricos adhibeat, haec scribit (p. 465, 1): 'nam structurae obseruatio bipartita tam ad oratorias uirtutes quam ad partes grammaticas pertinet. et alterum quod ab genere rhetorico trahitur trina ratione colligitur et est primum incisum, hoc graeci comma nominant; ex commatibus [hoc est incisis] membrum fit, quod illi colon appellant; ex commatibus et colis periodus constat, quam nostri conprehensionem dicunt. alterum ad officium artis grammaticae refertur hoc est ad pedes, si quidem adsumpta pedum imagine omnis orationis clausula struitur; quare (quod *codd.*) genus hoc possis grammaticum, illud rhetoricum magis dicere.'

Pergo ad librum quintum. huc referendum est teste Romano, cui omnia horum librorum frustula Charisius debet, fragmentum de interiectione (fr. 81), de quo optime disputantem audi Ottonem Iahn in conmentatione ueber die kunsturtheile bei Plinius (ber. d. saechs. gesellsch. d. wiss. II 1850 p. 114): 'das ungeschickt wiederholte *ut ait Varro, inquit Varro* beweist, dass wir es hier mit einem excerpt zu thun haben, welches aus einer laengern auseinandersetzung die hauptpunkte zusammengerueckt hat,

1) Ad disciplinarum librum de rhetorica Rufini testimonium refert Ritschelius l. l. p. 33, in quo quamquam eadem res paucis retractari potuit, tamen nescio an interpretatio mea probabilitatis quadam specie conmendetur.

aus der auch die zunaechst folgenden bemerkungen entlehnt sein werden. ohne zweifel gehoert alles genau zusammen. Varro handelte von den interiectionen, durch welche ganz vorzugsweise ein characteristischer ausdruck der gemuethsstimmung hervorgebracht wird, und zugleich von andern mitteln der sprachlichen darstellung, um diese wirkung zu erreichen. dabei hatte er vom ἦθος und πάθος gesprochen und die dichter auf deren beispiel er sich berufen musste, nach dieser richtung kurz charakterisirt. so erklaert sich die sonst auffallende erscheinung in einer grammatischen schrift de latino sermone eine bemerkung dieser art zu finden.' artem ἤθη et πάθη recte et pulchre exprimendi et oratoribus et poetis esse maxime necessariam Cicero orat. 37, 128. [1]) Quint. inst. orat. VI 2, 8 sq. Macrobi quae ex libro saturnaliorum IIII extant satis ostendunt, in his igitur libris, quibus quid pura et elegans latinitas postularet docebatur, rem tam magni momenti intactam relinquere non licuit. e loco nostro uero facile intellegitur in libro quinto c o n t i n e n t i s s e r m o n i s u i r t u t e s expositas fuisse, quod argumentum quam prope ad rhetorum praecepta de eisdem rebus accedat sua sponte adparet. nemo ignorat, quanta subtilitate et rhetores et grammatici de uirtutibus et uitiis orationis disserant et infinitas eorum partitiones et definitiones proferant. longum est nec necesse pluribus de hac re agere quae Ciceronem uel Quintilianum, Diomedem uel Donatum, ut taceam posteriores rhetores graecos et latinos, inspicienti obicitur. propagata

1) 'Duo sunt quae bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum est quod graeci ἠθικὸν uocant, ad naturas et ad mores et ad omnem uitae consuetudinem accommodatum, alterum, quod eidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. illud superius come iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, hoc uehemens incensum incitatum, quo causae eripiuntur; quod cum rapide fertur sustineri nullo pacto potest'. cf. O. Iahn l. l. p. 108 sq.

erat harum rerum expositio ad utriusque artis auctores inde ab eo tempore quo sophistae utrique studuerunt (cf. I. Classen de gramm. gr. primord. p. 23 sq. L. Spengel art. script. p. 39 sq.), quod ueteres quoque grammaticos Romae fecisse Suetonius [1]) narrat, et quamquam postea schemata λέξεως quae aut ad grammaticum aut ad rhetorem pertinerent inter se distinguere uoluerunt (cf. Quint. inst. orat. VIIII 3, 2. Donat. III 5, 1 p. 1773 P.), tamen easdem maxime figuras apud utrosque enumeratas inuenies. de eadem re, uirtutes dico et uitia sermonis, Varronem dixisse Romani testimonium indicat, quod quomodo, quamquam sine dubio multo simplicius et doctius quam posteriores, in singulis instituerit non liquet. loco nostro (cf. Ritschl parerg. Plaut. et Ter. 1 p. 194 sq.) Titinnius Terentius Atta pulchrae ἠθοποιίας uel morum descriptionis causa laudantur, Trabea contra Atilius Caecilius adfectus facile mouere dicuntur, quarum rerum exempla, a Varrone certo non parce adposita, paucissimis exceptis Romanus uel Charisius omisit. e Terentio enim ἠθοποιίας principe (cf. Varr. Parmen. ap. Non. u. poscere p. 374) adfectus exemplum profertur, quod ex meris exclamationibus constat. addit scriptor, tale enuntiatum, quamquam interiectionis particula desit, [2]) tamen

---

1) De gramm. et rhet. 4: 'ueteres grammatici et rhetoricam docebant ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo quamquam iam discretis professionibus nihilo minus uel retinuisse uel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata paraphrasis allocutiones e t h o l o g i a s atque alia hoc genus, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. quae quidem omitti iam uides desidia quorundam et infantia, non enim fastidio putem'. *ethologias* pro codicum *aethiologias* uel *ethiologias* i. e. aetiologias, quod retinere uolt W. Christ philol. XVIII p. 161, scripsit Beroaldus.

2) Idem habes apud Macrobium saturn. IIII 6, 17: 'exclamatio, quae apud graecos ἐκφώνησις dicitur, mouet pathos. haec fit interdum

interiecti animi causa ita uocari. secuntur quaedam irascentis amantis dolentis exempla.[1])

In eodem libro de tribus dicendi generibus a poetis et oratoribus usurpatis dixit. Gelli enim libri sexti caput XIIII sumptum esse ex libris de sermone latino Ritschelio non inprobabile uidebatur, qui quaest. Varr. p. 15 et nou. mus. rhen. VI p. 524 diiudicare noluit, utrum hoc testimonium ad libros de proprietate scriptorum an ad nostros spectaret. prius illud non ita ueri simile est, postquam reperto Hieronymi indice libros περὶ χαρακτήρων (Char. p. 189) non eosdem atque eos de proprietate scriptorum esse, sed potius conuenire cum libris de descriptionibus Ritschelius l. l. p. 520 perspexit, nam nunc in hac re disceptanda nomen χαρακτῆρες a Gellio initio capitis positum nullius momenti est. accedit quod libros de proprietate scriptorum numquam Gellius conmemorat nihilque fere adhuc de eis constat, ut dubium et lubricum uideatur unum fragmentum ad eos referre. maximi contra ponderis est, quod genera dicendi tamquam orationis uirtutes praedicantur (fr. 80) 'quibus uitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squalentes et ieiunidici pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus.' his rebus cum librum quintum

---

ex persona poetae, nonnumquam ex ipsius quem inducit loquentem. ex poetae quidem persona est: *Mantua uae miserae nimium uicina Cremonae!* (Verg. ecl. VIIII 28), *Infelix! utcunque ferent ea facta nepotes* . . . (Aen. VI 823), *crimen amor uestrum!* (Aen. X 188) et alia similia. ex persona uero alterius *Di capiti ipsius generique reseruent* (Aen. VIII 484), *Di talia Graiis instaurate, pio si poenas ore reposco!* (Aen. VI 529), *Di talem terris auertite pestem!* (Aen. III, 620).

1) In exemplis autem interiectionum quae locum nostrum praecedunt nullae Varronis partes esse ostendunt Caeselli Vindicis Statili Maximi Pauli nomina adscripta.

destinatum fuisse uiderimus, haec[1]) indidem fluxisse confidenter adfirmo. tria igitur genera dicendi sunt (cf. Cic. orat. 5, 20. Quint. XII 10, 58) a Graecis *ἁδρὸν ἰσχνὸν μέσον*, quae Theophrastum primum agnouisse sequitur e Dionys. Hal. de Dein. ui dic. 3. Lys. 6 (cf. Westermann l. s. p. 170), a Romanis uber mediocre gracile adpellata, quae uirtutes si modum excedunt uitia fiunt. latinorum poetarum exempla esse ubertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium, eandemque orationis diuersitatem teste Polybio et Rutilio prae se tulisse claros legatos quos a. u. DLXXXXVIIII Athenienses Romam miserint (cf. Cic. acad. pr. II 45, 137), Carneadem academicum Diogenem stoicum Critolaum peripateticum. cum uero hoc fragmento iterum uideamus, quam arte ubique oratorum et poetarum loquendi morem coniunxerit, iure nostro in hoc libro de discrimine solutae et poeticae orationis actum esse expectamus ideoque huic libro uindicamus quae Isidorus I 37 habet (fr. 79). quamquam non sine ulla haesitatione hoc factum esse fateor. non desunt quidem uestigia Isidori auctores libros nostros adhibuisse, quod adnotatione nostra discas, sed parum liquet, quibus operibus Varronianis illi omnino usi sint, quam ut certo demonstrari possit cui libro singula frustula debuerint. quare etiam omnes fere Isidori etymologias nisi aliorum testimoniis tribuuntur grammaticis libris neglexi, nec dubium est quin eae omnes uel saltem longe maximam partem ex aliis libris excerptae sint, nunquam uero eis de librorum indole ac ratione quidquam doceatur. fragmentum de quo nunc loquor e quodam libro sumptum esse oportet, in quo de prosa et eloquentia disputabatur, quod etiamsi in pluribus fieri potuit ut in libris rhetoricorum, tamen librorum nostrorum

---

1) Et totum quidem caput, retento igitur Rutili et Polybii testimonio a Varrone Gellium accepisse puto, cf. L. Mercklin d. citiermeth. d. Gell. p. 651. A. Krause uit. et fragm. hist. rom. p. 230. H. Nissen krit. untersuchgn ueb. d. quell. d. Liu. p. 42 sq.

uestigia quae hunc locum apud Isidorum excipiunt [1]) et poetarum et prosae scriptorum conparatio ut ad eosdem hoc frustulum referam me mouent. initio igitur libri quinti de hac re Varronem disseruisse breuiterque quo tempore utrumque ortum sit adiecisse credo. carmina enim inde ab antiquissimis temporibus esse cantata existimauit, et soluta oratione primum apud graecos Pherecydem Syrium (cf. Suid. Φερεκύδης. F. G. Sturz Pherecyd. fragm. p. 11 sq. ed. alt.), apud Romanos Appium Claudium Caecum (cf. Cic. Brut. 16, 61. H. Meyer orat. rom. fragm. p. 1 sq.) scripsisse. deinde ad genera dicendi transiit et ubi et quatenus adhibenda in sermone urbano sint exposuit, quo facto singulas virtutes orationis et uitia recensuit. denique de uocabulorum significatione (fr. 83. 84. 85. 86) secundum usum elegantioris latinitatis [2]) deque aliorum formis praestantioribus [3]) (fr. 88. 89) locutus est, sed ex paucis et exiguis relliquiis nec ordo rerum nec ratio expositionis indagari potest.

---

1) Vide Isidori orig. I 38, 1. 2. 3 siue adnotationem nostram ad fragmenta 65. 69. 64.

2) Locum a Probo apud Gellium VIIII 9, 9 (fr. 84) seruatum huc traxi propter singularem congruentiam cum Charisi loco p. 103, 26 (fr. 85). quare haec arte conexa et de communi origine uocabulorum caper capus (caballus) dictum fuisse credo. aliam *capri* etymologiam proposuit Varro de l. l. V 97 p. 99. rer. rust. II 3, 7.

3) Cum fragmenta 87. 88 de aduerbiorum formis plura in hoc libro tradita esse doceant ad eundem locum pertinere puto quae de usu coniunctionis *quando* Formianorum et Fundanorum (oppida ea in Latio esse scis), ubi pura latinitas *cum* postulet, apud Charisium ex Romano p. 111, 23 leguntur (fr. 90). — Praeterea apud Donatum in Terenti Eun. IIII 3, 7 *Varro in Marcellum* pro *Varro ad Marcellum* (fr. 82) scriptum esse conicio, quem locum Ausonius Popma (Varronis opera quae extant p. 153) incerto libro de lingua latina tribuit. de tali oratione enim nihil unquam auditum est obseruationemque quandam de obsoleta dicendi figura *praesente legatis omnibus* bene libro quinto aptam esse uides.

Perlustratis posteriorum librorum relliquiis totiusque operis peculiari indole quodammodo perspecta ad priores libros transeo quos adhuc neglexi. quale et quid eorum in uniuersum fuerit argumentum non ita difficile est demonstratu, sed singula multo obscuriora quam in illis sunt, nam paucissima tantum frustula aetatem tulerunt. initio libri primi necesse erat ut de consilio et argumento operis disputaretur, praesertim quid sit sermo latinus uel pura latinitas accurate circumscriberetur. Varro hoc generaliter definiuit atque addidit ducibus *natura analogia consuetudine auctoritate* quid bene dictum sit iudicandum esse. discimus hoc ex Diomede p. 439 (fr. 41), qui cum in libro tertio non solum omnia quae sub Varronis nomine profert (exceptis eis quae Suetonio eum debere supra dixi), uerum etiam haud pauca praeterea e libro de sermone latino quarto habeat, reliqua quoque, quae in libro secundo e Varrone laudat, ex eisdem libris sumpsisse putandus est, siquidem fragmenta ipsa cum argumento librorum conueniunt. uix ac ne uix quidem ipse libris Varronianis usus est, sed ex aliis auctoribus sua hausit, ut praeter externa indicia in primis librorum natura et ratio respicienda sit. ex tribus autem fragmentis (p. 426, 21. 428, 22. 439, 15), quae in secundo Diomedis libro leguntur, duo ex eodem fonte fluxerunt atque illa quae supra tractauimus, tertium ad librum de grammatica pertinere infra demonstrabitur. alterum, de quo modo dicere coepi, apud Charisium quoque p. 50, 34 Varrone non nominato[1]) legitur,

1) Hoc unicum uidetur fragmentum quod non Romano debuit Charisius. in codicis quidem Bernensis 123 fol. 21 excerptis legitur *ut Comminianus dicit constat ergo latinus sermo*, sed nihil inde efficiendum esse docet Henricus Keil praef. gramm. lat. uol. I p. XXXXVIII. Palaemonis potius est initium capitis XV (Char. p. 50), cf. A. Schottmueller de C. Plini Secundi libris gramm. I p. 20. W. Christ philol. XVIII p. 124. muenchn. gel. anz. 1859 p. 220.

ubi prima uerba sunt *constat ergo latinus sermo natura analogia consuetudine auctoritate.* haec igitur tanquam quattuor fundamenta et principia bonae latinitatis posuit, ut quid eorum uni repugnaret reiciendum esset. natura uerborum ipsa materia uel potius peculiaris uerborum forma et figura est, quae constanter eadem manet, ut *scribo* non *scrimbo* dicat qui intellegi uelit necesse sit. eam autem artissime cum origine uerborum conexam esse et ex hac pendere manifestum est et confirmatur Varronis uerbis (de l. l. V 2 p. 13) *uniuscuiusque uerbi naturae sunt duae a qua re et in qua re uocabulum sit impositum.* analogiae interpretatio *sermonis a natura proditi ordinatio secundum technicos* uix integra e Varrone translata est, quod pluribus inter scriptorem primum et grammaticum nostrum intercedentibus auctoribus non ualde est mirum. ordinationem uero si summam spectas rei non alienam esse ab analogia testatur Vitruuius, qui de suis rebus ita scribit (I 2, 2): 'ordinatio est modica membrorum operis commoditas separatim uniuersaeque proportionis ad symmetriam comparatio', cuius definitionis pars altera ostendit quomodo hoc nomen ad analogiam explicandam adhiberi potuerit cf. Varro de l. l. X 37 p. 565: 'sequitur tertius locus, quae sit ratio proportionis[1]); ea graece uocatur ἀνάλογον; ab analogo dicta analogia', cl. X 42 p. 568. 65 p. 581. consuetudo in multorum consensione et usu loquendi uersatur et eadem ui non raro in libris de lingua latina analogiae opponitur ut VIII 26 p. 410 sq. VIIII 2 p. 458 sq. X 73 p. 585, auctoritas uero, qua ueterum usum loquendi uel scribendi significat, in illis libris non occurrit.[2]) paucis mutatis eandem de ser-

---

1) *Proportionis ea* scripsi pro eo quod codex Florentinus habet *proportione a grece* (i. e. *proportioñ ea graece*), ex quo effecit Spengelius de emend. rat. libr. Varr. de l. l. p. 13 *proportione. ea graece* cf. Gell. XV 9, 4 ἀνάλογον a graecis non declinari docuit idem ad Philodem. rhet. IIII col. XIII 10 in abhdlgn d. muenchn. acad. 1840 I p. 267.

2) Ibi *natura* plerumque significat declinationem naturalem quae

mone obseruationem Quintilianus (inst. orat. I 6, 1) profert, qui pro analogia rationem (cf. de l. l. X 36 p. 564) quam praecipue analogia, interdum etymologia praestet, pro natura uetustatem ponit quae quasi pars auctoritatis est, nam 'uetera' ait 'maiestas quaedam et ut sic dixerim religio[1]) commendat'. similiter Maximus Victorinus (p. 272 L. p. 1938 P.) et Augustinus de grammatica (p. 7 Web. p. 167 Mai nou. bibl. patr. I 2) Varrone nituntur quorum uterque naturam simpliciter omittit, Probus contra (inst. art. p. 47, 19 K.) analogiam tantum et anomaliam retinuit.

His praemissis in libro primo copiose d e u o c i s n a t u r a disseruit ut Seruius de accentibus paragrapho octaua docet, e quo Varronem breuissime de hac re in libro tertio egisse uidemus, quem ibi quae ad sequentia probanda necessaria erant ex initio operis repetiisse consentaneum est. secutus est ut uidimus stoicos (cf. R. Schmidt stoic. gramm. p. 16 sq.) quorum sententiam, quam iam supra (p. 6. 47) indicaui, nunc satis habeo breuissime Gelli (V 15, 3 sq.) uerbis proferre: 'corpus est quod aut efficiens est aut patiens. id graece definitur *τὸ ἤτοι ποιοῦν ἢ πάσχον*. quam definitionem significare uolens Lucretius poeta ita scripsit *tangere enim aut tangi nisi corpus ulla potest res* (I 304). alio quoque modo graeci dicunt *τὸ τριχῆ διάστατον*. sed uocem stoici corpus esse contendunt eamque dicunt ictum aera'.[2]) his coniuncta erat distinctio uocis in articulatam

---

uoluntariae opponitur (cf. VIII 22 p. 409. X 51 p. 574), auctoritatem contra simul conprehendunt usus et consuetudo (cf. X 73 p. 585).

1) *religio* edidit Spalding *religiosa* habet Ambrosianus I, *religio* Bambergensis (de quo cf. C. Halm ber. d. muenchn. acad. 1863 p. 391). idem recte deleuit *uel*, quod in codice Bambergensi non legitur: sermo constat ratione *uel* uetustate auctoritate consuetudine.

2) Gelli caput e fonte graeco deriuatum esse ueri simile facit Theodosius p. 15, ubi eidem auctores recurrunt: *ὁ δὲ Δημόκριτος καὶ ὁ Ἐπίκουρος καὶ οἱ Στωικοὶ σῶμα λέγουσι τὴν φωνήν, ὅτι πᾶν ὃ ἔχει*

et confusam, quam apud omnes fere grammaticos latinos reperimus, praeter alios apud Diomedem (p. 420, 9) et Marium Victorinum (I 2, 1 p. 2451 P.). recepi autem Diomedis uerba inter relliquias (fr. 42), non quo eum doctam Varronis disputationem integram reddidisse crediderim, sed quia multa uestigia horum librorum apud eum inuenimus Varronemque talia, quamuis alia profecto doctrina, dixisse nullus dubito. ab articulata uoce rei natura[1]) fert ad litteras eum progressum esse, quod quomodo fere instituerit, bene opinor intellegimus Audacis fragmento quodam ab Angelo Mai e 'glossario maximae molis Vaticano perantiquo' in classicorum auctorum uolumine sexto p. 589 edito: 'uox est aer ictus auditui sensibilis. uocis autem duae sunt partes, articulata et confusa; articulata est ho-

---

ἐνέργειαν καὶ πάθος, ἤγουν δύναται δρᾶσαι καὶ παθεῖν, σῶμά ἐστιν· ὥσπερ ὁ σίδηρος· πάσχει γὰρ οὗτος ὑπὸ πυρὸς, δρᾷ δὲ εἰς ἀνθρώπους καὶ εἰς τὰ ξύλα καὶ πέτρας· εἰ τοίνυν ἡ φωνὴ καὶ δρᾷ καὶ πάσχει σῶμά ἐστιν· καὶ δρᾷ μὲν, ἡνίκα ἀκούοντες ἡμεῖς ἢ φωνῆς ἢ κιθάρας πρὸς τέρψιν ἐρχόμεθα. πάσχει δὲ ὡς ὅταν φωνούντων ἡμῶν πνευσῇ ἄνεμος καὶ ποιήσῃ ἧττον ἀκούεσθαι τὴν φωνήν. καὶ ἔτι πᾶν αἰσθητὸν σῶμά ἐστιν, οἷον τὸ ξύλον καὶ ὁ σίδηρος, ὁ λίθος καὶ τὰ ὅμοια· ταῦτα γὰρ αἰσθητά εἰσι καὶ τῇ ὁράσει ὑποπίπτουσιν. αἰσθητὸν τοίνυν καὶ ἡ φωνή ἐστι καὶ τῇ ἀκοῇ ὑποπίπτει· ἄρα ἡ φωνὴ σῶμά ἐστιν. καὶ ἔτι ἴδιον τοῦ σώματός ἐστι τὸ ποτὲ μὲν αὐξάνεσθαι, ποτὲ δὲ λήγειν· ἡ οὖν φωνὴ ποτὲ μὲν αὔξεται ποτὲ δὲ λήγει· ἄρα σῶμά ἐστιν· ἐπὶ μὲν τῶν παιδίων βραχεῖά ἐστιν ἡ φωνή μικρῶν ὄντων· αὐξηθέντων δὲ μεγάλη· λήγει δὲ ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων. καὶ ἔτι πᾶν τὸ ἀντιτυποῦν σῶμά ἐστιν, ὡς ἐπὶ τοῦ λίθου· καὶ γὰρ ἁπτομένων ἡμῶν τοῦτο ἀντιτυπία γίνεται· τότε οὖν γίνεται ἡ ἀντιτυπία ὅταν εὑρεθῇ τι προσκροῦον· εἰ οὖν ἡ φωνὴ ἀντιτυπεῖ προσκρούουσα ταῖς ἀκοαῖς, ἄρα σῶμά ἐστιν. cf. Pseudo-Galen. hist. phil. XVIIII p. 310 sq. K. Plut. de plac. phil. p. 903 A. sq. Vitruu. V 3, 6.

1) cf. Laert. Diog. VII 56: *πᾶν τὸ ποιοῦν σῶμά ἐστι, ποιεῖ δὲ ἡ φωνὴ προσιοῦσα τοῖς ἀκούουσιν ἀπὸ τῶν φωνούντων. λέξις δέ ἐστιν ὥς φησι Διογένης, φωνὴ ἐγγράμματος, οἷον ἡμέρα . . . τῆς δὲ λέξεως στοιχεῖά ἐστι τὰ εἰκοσιτέσσαρα γράμματα.*

minum tantum, quae scribi potest id est *orator uenit et docuit*, et dicta articulata quod articulo [sic] scribentis conpraehendi possit. confusa est quae scribi non potest, ut puta uelut ouium balatus, equi hinnitus, mugitus bouis, latratus canis et cetera, sed articulata uox, quamquam sit prolixa oratio, soluitur et facit sermonem. iterum sermonem soluis et facit syllabam. si uero syllabam soluas, remanet littera, et iam non procedit ultra (ultro *cod.*) resolutio'. singularum litterarum potestatem ac pronuntiationem Varronem subtiliter explicasse credo et huic argumento totum librum dedisse. de cuius disputationis relliquiis, quae probabiliter ad hunc locum referri possint infra dicam. in aliis quoque libris non pauca, quae bene huc quadrent disputata esse infra adparebit.

Libro secundo alterum quod in Diomedis libro secundo (p. 428, 22) legitur fragmentum (fr. 49) tribuo, misere excerptum ex longiore disputatione de uariis syllabarum generibus. duae praesertim classes discerni possunt. nam sunt aut barbarae aut graeculae aut quod addere licet latinae, deinde aliae asperae aliae leues, aliae procerae aliae retorridae, aliae durae aliae molles. singula satis copiose persequi debebat, uix enim quid praeterea in hoc libro tractauerit inuenies, quocum, si in hoc argumento acquieuit, optime conuenit liber tertius quem de spiritu accentu longitudine syllabarum fuisse scimus. neque ex duobus fragmentis, quae Gelli diligentiae debemus quidquam conligi potest, nisi quod uberius de praestantioribus formis uocabulorum egisse et multis exemplis rem scriptorem inlustrasse demonstrant. altero (fr. 53) *aeditumum* non *aedituum* Varroni placuisse discimus, quia ueterum auctoritas illud exegerit, alterum (fr. 54) continet bellum aenigma de Termino, ut dudum intellectum est, quod qua occasione adtulerit coniectura adsequi nequeo. argumentum uero libri ut aperte quod significaui dicam, syllabarum et uocabulorum pura et emendata pronuntiatio (cf. Quint.

inst. orat. I 4, 6 sq. 11, 1 sq.) erat. tales autem quaestiones orthoepicae quam saepe ad formas uocabulorum perscrutandas et explicandas eum deduxerint, res ipsa et ex tribus fragmentis unum docet. pronuntiatio in sono uocabulorum uertitur, de quo ita fere Varronem dixisse Augustinus (princ. dialecticae V p. 40 B ed. congr. S. Maur. p. 7, 18 ed. Creceli) testatur 'de sono uerbi agitur cum quaeritur uel animaduertitur, quanta uocalium uel dispositione leniatur uel concursione dehiscat, item consonantium uel interpositione nodetur uel congestione asperetur et quot uel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solarum aurium tractantur negotia'. quibus uerbis cum breuiter locus περὶ φωνῆς circumscribatur, quanti ponderis in his rebus pronuntiatio apud Varronem fuerit optime ostenditur, ut per totum librum de hac re eum disseruisse minime sit mirum.

His expositis subicienda est quaestio de relliquiis ad hanc partem operis pertinentibus quae quidem non minus ad librum primum et tertium quam ad secundum spectat, sed in singulorum librorum argumento restituendo non commode tractari potuit, quia res artissime inter se cohaerent. qui enim Veli Longi uerba statim adponenda legit non cogitare de libris nostris non potest. reprehendit Longus quod ὀρθοέπεια et ὀρθογραφία a plerisque confundantur et deinde pergit (p. 2232 P.): 'nam ὀρθοέπεια non quaerit quomodo scribendum sit, cum ad uocis legem adlegatus sit ille qui scribit (scripsit *P.*), sed est quaestio in loquendo, ut *forcipes* et *forpices*, et *arcesso* et *accerso* (his enim minimum erit dignoscere quomodo dicantur) proinde ac dixero scribes mihi . . . at proprium ὀρθογραφίας est, quotiens in uocis enuntiatione nihil uidemus ambiguum, ut in scriptione tota haesitatio est posita, ut cum dico *Troia* per I unum an per duo scribere debeam . . . . sed (nec *P.*) potest in quibusdam ὀρθογραφία cum ὀρθοεπείᾳ misceri, ut enuntiatio cum scriptione pariter

titubet, ut in *accusatore comisatore*, ubi quaeritur geminatis consonantibus an simplicibus scribendum et enuntiandum . . . . nec non et ibi ὀρθοέπεια ὀρθογραφίᾳ coniuncta est ubi quaeritur *foenoris* an *foeneris*[1]) dicant, quoniam nomen inde tractum dicimus *foeneratorem*, item *facineris* an (non *P.*) *facineris*, quoniam *facinerosum* uocamus. sic etiam *delirus* placet Varroni non *delerus*. non enim ut quidam existimant, a graeco tracta uox est παρὰ τὸ ληρεῖν, sed est latina a *lira* id est sulco (a lira id est *inseruit Ritschelius quaest. Varr. p. 29*) . . . . hinc nascuntur (noscuntur *P.*) etiam quaestiones interdum, quibus noua a ueteribus discernantur (*cf. adnotatio ad fr. 47*) . . . . mihi uero placet ut in latino sermone antiquitatis religio seruetur ut potius *sorbui* secundum auctoritatem eruditissimorum et eloquentium uirorum dicamus, quam *sorpsi*, cum recens haec declinatio sordidi sermonis uires (uirus *P.*) ceperit. . . . hinc nascuntur etiam diuersarum significationum quaestiones, *actarios* an *actuarios* et dicere et scribere debeamus, cum *actuarios* canes quidem ab actu appellemus, *actarios* uero scriptores actorum'. excerpsi longum Longi locum, ut non solum generalia cum Varronis libris conuenire, uerum etiam quam arte cum tali argumento quaestiones de antiquis formis et significatione uerborum, ad quas Varronem saepe transiisse dixi, coniunctae sint ostenderem. similis disputatio Veli p. 2228 sq. legitur et ibi quoque, paucis interpositis, Varronis quoddam praeceptum orthographicum uel orthoepicum de *harena* adfertur (p. 2230). priore loco e Varrone non modo obseruatio de *deliro* fluxit, sed plura huic deberi ostendit *meridies* (p. 2232) ex eius mente explicatus, cf. de ling. lat. VI 4 p. 186, et iudicium de adspiratione in uocabulis *uehemens* et *reprehensus* p. 2234, quod Terentius Scaurus p. 2256 aperte Varroni tribuit. cum hoc

1) Prorsus alienum hoc esse ab eo quod supra (p. 64 n. 2) in libro tertio (fr. 62) positum fuisse uidimus uix est quod moneam.

loco quaedam de *Cilone* et *Chilone*, de *cohortibus* et *coortibus* coniunxit, quae omnia recurrunt altero Longi loco p. 2229, ubi de multorum uerborum agitur adspiratione. de *harena* ipse Velius Varronis profert auctoritatem (cf. Seru. ad Verg. Aen. I 172 [1])), praeter *uehemens* et *prehensus* etiam *Pulcher* et *Gracchus* Scaurus l. s. s., *Pulcher Gracchus hortus* Charisius [2]) p. 73. 82 tamquam Varroniana tuentur. confidenter igitur hanc uniuersam disputationem Varroni adscribo, non quidem arbitratus Longum eum in singulis semper secutum esse, sed omnia haec uocabula uno eodemque loco tractata repperisse et inde transtulisse. atque de singulorum uocabulorum adspiratione plerumque Varronis sententiam accepit, interdum suum iudicium edixit. de qua re infra accuratius dicam. Terentius uero Scaurus [3]) non illis tantum locis cum Velio congruit sed permultis, e quibus Varroniana eligere satis habeo. Scaurus tradit p. 2255, Var-

---

1) Cum uero e consensu huius loci Seruiani cum Velio Longo, e quo simul adparet Velium non ita accurate Varronis uerba reddidisse, sequatur Seruium, qui libros nostros nominatim non adfert, eos in usum suum conuertisse, ad eorundem librum quintum refero duo fragmenta apud Seruium ad Verg. Aen. VIIII 194 (fr. 86) et I 595 (fr. 89), quae perquam bene cum eo congruunt. alterum (fr. 89) neglegentius a Seruio excriptum esse conparata Suetoni et Isidori eorundem uerborum explicatione quam subieci facile intelleges.

2) Cum uero in Charisi libris praeter singulas librorum de similitudine uerborum et utilitate sermonis mentiones nonnisi libri de lingua latina et de sermone latino nominentur, hac quoque re illa ex his sumpta esse quodammodo confirmatur.

3) Etiam in principiis Scaurus cum Varrone consentit p. 2251: 'recorrigitur uero (scribendi ratio) regulis tribus: historia, originatione quam graeci ἐτυμολογίαν appellant, proportione quae graece ἀναλογία dicitur'. historia quaerit quid auctoritas ueterum commendet et etymologia naturam uocabulorum indagare studet, ut artem rei in qua uertitur substituerit. consuetudo tantum desideratur. praue orthographiam analogiam nuncupat Mar. Vict. I 4, 1 p. 2465 P.

ronem Lucili doctrinam de I et EI inprobasse, p. 2261 eundem *urbs* et *Pelops* scribi iussisse; utrumque non ita quidem copiose habes apud Velium p. 2220. p. 2233 cf. Papirianum Cassiodori p. 2291. non minus conspicuus est consensus eorum quae ex Annaeo Cornuto excerpsit Cassiodorius[1]) cum Velio Longo. quae e Varrone profert Cornutus p. 2282 de litteris V et F et p. 2284 de I pingui recurrunt apud illum p. 2222 et p. 2216 (cf. p. 2228. Scaurus p. 2259). praeterea Cornutus p. 2285. p. 2286 Varronis de adspiratione praecepta inpugnat, de qua re Velium e Varrone hausisse modo uidimus. contra Cornuti antiquos p. 2286 inter alios Varronem esse ostendunt Velius Longus p. 2229 et Terentius Scaurus p. 2256. grauissima delegi ut singularem horum scriptorum consensum demonstrem, plura in locis diserte Varroni adscriptis adnotatio nostra suppeditat. ex hac uero egregia congruentia eodem opere Varroniano omnes usos esse non audacius conligere mihi uideor[2]), nam alter alterum, Varronis nomine ab alio huic, ab alio illi obseruationi adposito, non excripsit. neque dubito quin scriptores de orthographia, qui bona doctrina instructi et aptis auctoribus usi rem tractarunt (nam posteriores priores mere excerpserunt neque sunt respiciendi) permulta

---

1) Quanta scientia et sollertia Cassiodorius auctores suos 'deflorauit', ostendunt misera excerpta ex Velio Longo p. 2287. non melius rem in Cornuto praestitit, quem Curtius Valerianus excripserat, id quod extrema uerba Cornuti conlata cum Valeriano p. 2289 docent. Cornuto igitur Curtius debet quae de litteris Z Ξ Ψ p. 2289 leguntur, quae omnia Cassiodorius in Cornuto deflorando omisit exceptis paucis de Z littera et lepido additamento, quod bis ponere ei non longum erat.

2) Eidem igitur operi praeter locum de *deliro* (Velius Long. p. 2233), quem supra excripsi reliqua quoque tribuo quae apud hos scriptores Varronis nomine inscribuntur: Velius Long. p. 2236, p. 2238 = Papirian. Cassiodori p. 2291, Cornutus p. 2284, quae obseruationes apud ceteros non repetuntur.

eorum quae ad cognoscendum linguae latinae historiam maximi momenti sunt, e Varrone transtulerint. sed quamuis fines quos mihi constitui in hac re non inuito animo transgrederer, tamen in certis uel simplicissima argumentatione huc referendis acquiesco.

Si uero Veli Longi disputationem quam supra exscripsi percurrentibus ueri erat nobis simile libros de sermone latino scriptorem in manibus habuisse, duo nunc accedunt, quibus omnes hos grammaticos ex his libris hausisse confirmatur. primum enim scimus Varronem in horum librorum tertio de adspiratione egisse, quod quin satis copiose et accurate fecerit dubitare non poterit, qui quanta doctrina et diligentia elaborarit de accentibus meminerit. optime igitur hae relliquiae quae ampliorem expositionem produnt illi libro apta sunt. alterum ad temporum rationes spectat. Cornutus enim Cassiodori haec scribit (p. 2284): '*lacrumae* an *lacrimae, maxumus* an *maximus* et si quae similia sunt scribi debeat (debeant *P.*), quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem [1]) per I eiusmodi uerba solitum esse enuntiare et scribere. inde propter auctoritatem tanti uiri consuetudinem factam'. de consuetudine uero C. Caesaris auctoritate orta Caesare adolescente uel potius, ut dicam quod sentio, uiuo Caesare uix quisquam loqui potuit. opera autem Varronis grammatica quae hic in censum ueniunt aut multo prius scripta sunt, quam in quibus

---

1) Quintilianus (inst. orat. I 7, 21) et Velius Longus (p. 2228) in Caesaris titulis ita scriptum fuisse tradunt. — Cum hoc loco Varro Caesarem nominet, contra Varronem a Caesare inpugnatum esse noli efficere e Pompeio ad Don. p. 233 Lind.: 'Lectum est hoc saepius praecipue apud Varronem. ille dicit, *lac* non debemus dicere sed *lact*. sed dixit Caesar contra ipsum rem ualentissimam, nullum nomen duabus mutis terminari'. Caesaris enim praecepto ad castigandum Varronem utitur Pompeius siue quis fuit eius auctor, sed ipsum Caesarem id fecisse e contorto et fere ubique absono Pompei genere dicendi colligere non licet.

scribendi ratio a Caesare instituta posteaque peruolgata conmemori potuerit, aut propter alias rationes in hac quaestione neglegenda sunt. nam libri de antiquitate litterarum primis iuuentutis annis a scriptore editi sunt, libri autem de origine linguae latinae ut uidetur ad Cn. Pompeium missi ideoque aut antequam talia continere potuerunt conscripti aut si posterioribus temporibus conpositi sunt, non debuerunt talia continere, in quibus Pompeius merito offendisset. denique ex libro de grammatica haec sumpta non esse demonstrauit, si praeterea consensum illum orthographicorum respicis, Ritschelius quaest. Varr. p. 23. restant, nam de libris de lingua latina nemo cogitabit, nostri libri cum quorum argumento haec optime conueniunt et qui eo tempore scripti sunt, quo talis consuetudinis mentio nemini mira uel temerarie iacta uidebitur. his igitur omnia quae modo conposui adsigno eaque inter libros distribuam, prout singulorum argumenta quae supra stabilire studui postulant.

Incipiam ab eis quae ad librum primum pertinere uidentur. notum est grammaticos latinos multum quaesiuisse de diuersis I litterae sonis uariasque rationes quomodo haec discrimina notanda essent excogitasse (cf. Schneider lat. gramm. I 1 p. 19. 63 sq. W. Corssen ausspr. uocal. u. betong. d. lat. I p. 142 sq. Ritschl nou. mus. rhen. XIIII p. 298. 378 sq. G. Schmitz studia orthoep. et orthogr. lat. I p. 6. 13 sq.). breuiter summam rei conprehendit quamquam non admodum acute diuersas res confudit Velius Longus (p. 2216): 'I uero littera interdum exilis est, interdum pinguis, ut in eo quod est *prodit uincit condit* exilius uolo sonare, in eo uero quod significatur *prodire uincire condire* aeque usque pinguescit. ut iam in ambiguitatem cadat, utrum per I quaedam debeant (habeant *P.*) dici an per V, ut est *optimus maximus*. in quibus adnotandum antiquum sermonem plenioris sonus fuisse et ut ait Cicero rusticanum, atque illis fere placuisse per V talia scribere et enuntiare.

errauere autem grammatici, qui putauerunt superlatiua per V enuntiari' e. q. s. de his superlatiuis Varronem egisse e loco supra posito (fr. 43) Cornuti, quem excripsit Isidorus orig. I 26, 15, uidemus eumque inter grammaticos a Longo uituperatos fuisse existimo, nam Caesaris aequalis uiri auctoritatem opposuit antiquae consuetudini, quam sine dubio defendit. etiam alteram de I exili et pingui quaestionem teste Scauro (fr. 44) non neglexit, et ita quidem tractauit, ut a Lucili praeceptis orsus ea maximam partem inprobaret, unum tantum retineret. Lucilius (cf. Ritschl nou. mus. rhen. VIII p. 487 sq. monum. epigraph. tria p. 31 sq. C. Lachmann ad Lucr. p. 244 sq.) ubicunque pinguiorem uel ut ipsum sequar pleniorem sonum longae huius uocalis audire sibi est uisus, et profecto talia discrimina in pronuntiatione audiebantur, EI scribere uoluit, ita in nominatiuo pluralis secundae declinationis (Vel. Long. p. 2220) et datiuo singularis tertiae declinationis (Quint. inst. orat. I 7, 15. Vel. Long. l. s.), praeterea (quod apud Scaurum legitur) in nonnullis uocabulis ut *meile meiles meilitia,* in quibus interdum et pluralem a singulari eodem modo distinxit, ut *pilum* quo pinsitur *peila* iacula militaria. non ualde accurate haec et reliqua Terentius e Varrone excerpsit. primum enim Varro plura e Lucilio adferre, ut illius doctrina cui suam opposuit patefieret, et cum in scribendis nominatiuis pluralis secundae declinationis per EI cum illo consentiat [1]), hanc praecipue legem auctoris uerbis proponere debuit, cuius rei apud Scaurum nec uola

---

1) Idem uoluit Nigidius Figulus in libro XXIIII commentariorum grammaticorum (Gell. XIII 26, 4): 'Si *huius*' inquit '*amici* uel *huius magni* scribas, unum *i* facito extremum, sin uero *hei magnei, hei amicei* casu multitudinis recto, tum ante *i* scribendum erit *e*, atque id ipsum facies in similibus'. sic codex Lugdunensis Voss. F 7 et Gronouius, praeterquam quod ille *hii magnii hii amicii*, hic *hi magnei hi amicei* habet. ceterum Lucilium magis quam Varronem Nigidium secutum esse docet idem Gelli caput.

reperitur nec uestigium. deinde reliquas quidem orthographiae mutationes Lucilianas propter inconstantiam Varronem respuisse refert, sed de rationibus quibus ductus unum illud probauerit, prorsus silet. ipse rursus Varronem inpugnat, eo argumento nixus, quod in uerbis temporalibus quoque diuersus I litterae sonus in singulari et plurali non notaretur. haec enim sententia loci esse uidetur, quem a Putschio male editum duce codice Bernensi sic fere legendum esse puto: ‘quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diuersa uia delabitur, dicens in plurali quidem numero debere I litterae extremae E praeponi, in singulari uero non. minime, cum et alioqui aliter in singulari quam in plurali syllaba sonat. ut in uerbis manifestum est, dicimus enim mitto emisimus. nisi aliam hic uult esse rationem, quod absurdum est, [ut] cum uerba quoque ex syllabis constent et diuersa regula corrigantur.’ [1]) eodem loco etiam uocabula quaedam conmemorasse

1) Verba non mediocriter corrupta sic teste Henrico Keil leguntur in cod. Bern. 330: *quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diuersu uia dilabitur, dicens in plurali quidem numero debere* ·*i*· *litterę praeponi in singulari uero minime cum alioqui* & *non aliunde in singulari quam in extrema syllaba sonat ut in uerbis manifestum est. dicimus enim mitto emisimus, nisi aliam hic uult esse rationem quod absurdum est, ut cum uerba quoque ex syllabis constant et diuersa regula corrigantur.* uox *et* non suo loco ac littera ·*i*· omisso *e* (quod requiri uidit L. F. Schmidt C. Lucili saturar. quae de nono libro supersunt disp. et ill. p. 24) suprascriptae praue scripta esse uerba ostendunt. et haud uolgari modo confusa et perturbata esse debent quae neque intellegi neque singularum uerborum mutationibus restitui possunt. librarium quendam existimo nonnulla omisisse et margini adscripsisse, quae deinde non solum alieno loco inrepserunt, uerum etiam alia et necessaria expulerunt, ut ita fere uerba se habuisse uideantur:

quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diuersa
uia dilabitur dicens in plurali quidem numero debere litterae ·*i*·
praeponi, in singulari uero minime cum alioqui aliunde in singu- *extremę*
lari quam in plurali syllaba sonat. ut in uerbis manifestum est, ·*e*· & *non*

uidetur, in quorum pronuntiatione non prorsus constiterit num per I an E litteram enuntianda sint (fr. 45). *mium* pro *meum, commircium* pro *commercium, Mircurius* pro *Mercurius* audiri dixit. hanc pronuntiationem si tuebatur in Mercurio [1]) quod mirandarum rerum esset inuentor, alteram profecto Mercurio a merce ducto (cf. Paul. p. 124) tacere non potuit. nam licet sonus I litterae in talibus uocabulis paullo obscurior fuerit (cf. Quint. inst. orat. I 4, 8. 17. Paul. amicitiae p. 15. Gell. X 24, 8) Varronis tempore non magis elegantiorum hominum erat, I in his enuntiare, quam Velio Longo placuit. et ipse Varro (de ling. lat. V 178 p. 177) *mercedem* a *merendo* ducit.

V litteram ante uocalem positam cum digamma Aeolico conparauit (fr. 46) [2]) eundemque ei sonum tribuit (cf. Schneider l. l. p. 357. Corssen l. l. p. 193 sq. F. Buecheler

---

dicimus e. q. s. in recipiendis omissis uerbis in ordinem neglecta sunt signa, quae singulorum locum significari solent, itaque uerba *extreme*, *et*, *non* falso loco inserta sunt, qua in re, intrusa et ad *syllaba* accommodata uoce *extremę*, uocabulum *plurali* et littera ·*e*· intercidit. praeterea autem *aliunde*, quod quid sibi uelit non adsequor, in *aliter* correxi. in extremis uerbis *ut* superuacaneum et pro *et diuersa* fortasse *nec diuersa* scribendum est, nisi hoc obscuriori cuidam generi dicendi tribuere mauis.

1) MIRQVRIOS legitur in speculo etrusco apud Eduardum Gerhard tab. 182. Ritschl prisc. lat. mon. epigr. I F. Similiter autem *dios* pro *deos* antiquos pronuntiasse dixit in libro tertio de lingua latina (fr. 4), ab hoc pluralem *di*, a *mium* uocatiuum *mi* duxit.

2) Seruauit hoc testimonium Cornutus apud Cassiodorium p. 2282, quocum prorsus congruit Priscianus I 4, 20 p. 15. Prisciani locum Ritschelius libris de origine linguae latinae adscripsit (quaest. Varr. p. 27), quia eos grammaticum nouisse constaret. sed recte H. Keil quaest. gramm. p. 10 (cf. M. Schmidt Didymi Chalcent. fr. p. 345 sq.) uidit, haec Priscianum Didymo debere, qui etiamsi ex pluribus libris ea transferre potuit, tamen in opere, cui inscriptum erat περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας (Prisc. II p. 411) uel de latinitate (Prisc. I p. 548), fortasse libros de sermone latino potissimum respexit, quae suspitio confirmatur consensu illo cum Cornuto.

de Ti. Claudio Caesare gramm. p. 7 sq.) et antiquis temporibus Romanos pro V consonante F uel potius ipsorum F scripsisse addidit, quod Priscianus quoque testatur I 4, 12 p. 11 H.: 'F Aeolicum digamma, quod apud antiquissimos latinorum eandem uim quam apud Aeolis habuit'. pro graecorum 'Ψ' in fine uocabulorum posito Varro praecepit (fr. 47), ut in nominatiuo *bs* scriberetur, si genetiuos in *bis*, *ps* si in *pis* exiret ut urbs et stirps (cf. Schneider l. l. p. 218. Corssen l. l. p. 60 sq.), etymologiam et antiquom graecorum morem secutus (cf. Mar. Vict. I 4, 74 p. 2466. I. Franz elem. epigraph. gr. p. 20 sq.). posteriores grammatici ubique *ps* scribere uoluerunt analogiae cuidam simulatae qua et Cinyps Cinyphis (siue Cynips illius Libyae fluminis nomen est) scriberetur obtemperantes, ut Terentius Scaurus p. 2261, Papirianus p. 2291, Marius Victorinus l. s., Curtius Valerianus p. 2289, unus Velius Longus p. 2233 ueterum auctoritati obedire mauolt.

Ad librum secundum refero quae apud Longum Cornutum Papirianum de uerbis *delirus* (fr. 50) *interuallum* (fr. 51) *naro* (fr. 52) leguntur, de quibus cum fragmenta quid scriptor docuerit ostendant pluribus loqui non opus est.

Denique pauca de adspiratione quam in libro tertio tractatam fuisse scimus adicio. adspirationis enim notam non litteram H esse Varro [1]) uoluit, quod in his quidem libris dictum fuisse non disertis uerbis testantur, sed et ex eis sequitur quae statim referam, et in libro de grammatica aperte positum erat. contra hanc sententiam magna cum subtilitate et doctrina pugnauerunt posteriores grammatici, ante alios Velius Longus (p. 2217) et Scaurus (p. 2258). Longi adponam prima uerba, e quibus qua ratione fere Varro illud statuerit discimus. 'H littera' in-

---

1) In hac quoque re Nigidium adseclam fuisse Varronis docet Mar. Vict. I 4, 5 p. 2456 P. ceterum cf. Schneider l. l. p. 180 sq. Corssen l. l. p. 46 sq.

quit 'tanquam sonus magis fit, quam litera et accedens literae. et utuntur auctoritate graecorum apud quos ut superuacua sublata est. fuisse tamen et apud illos manifestum est ex ueteribus scriptis et ex eo quod hodie, cum apud illos numeri prima semper litera nominis quo significantur notentur, ut *Δ δέκα, Π πεντήκοντα, Η ἕκατον* notentur (ut *δέκα πεντήκοντα ἕκατον P.*). unde adparet hanc literam loco adspirationis non fuisse, alioquin per E notaretur'. uidebatur Varroni autem haec nota ut uocalibus ita consonantibus quoque (fr. 56) praeponenda, R uero littera contra graecorum usum adspiranda non esse (fr. 57). spiritum quem *adflatum* ipse dicit rerum rusticarum III 1, 6, *flatum* ex eo ut uidetur Scaurus p. 2252, quantum fieri posset reprimere studuit (fr. 58) et in eis tantum uocabulis admisit, ubi etymologia eum postularet, itaque scribi iussit *ortus* non *hortus* ab oriendo, *alica* ab alendo, *alicula* ab alis. idem etiam ad peregrina uerba transtulit ut sine dubio in *Cilone* eam originem secutus est, qua homo angusti capitis et oblongi est, non eam qua inprobioribus labris esse dicitur (cf. Vel. Long. p. 2234). contra cum adspiratione ei placuit dicenda esse harena, quae a Sabinis fasena, haedus hircus hordeum hariolus hostis, quia ab antiquis qui eidem Sabini sunt (cf. Th. Mommsen unterital. dial. p. 358 sq.) faedus fircus fordeum fariolus fostis (cf. Paul. p. 84 M.) pronuntiabantur [1]). adspiratio in mediis uocabulis ei quam maxime coercenda uidebatur, ut Scaurus p. 2256 demonstrat 'et Pulcrum (negat Varro adspirandum esse), quam-

---

1) Cum uero praeterea e Varrone antiquos *habam* dixisse quod posteriores *fabam* proferatur, hoc non multum ab eis abesse uides quae A. Kiessling de Dionys. Halic. antiq. auct. lat. p. 39 Varroni non indigna putabat apud Seruium ad Verg. Aen. VII 695: 'Faliscos Halesus condidit. hi autem immutato H in F Falisci dicti sunt, sicut febris dicitur quae ante hebris dicebatur, Formiae quae Hormiae fuerunt ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit'.

uis in consuetudine adspiretur. nihilo minus tamen ratio exiliter C enuntiandum et scribendum esse persuadet, ne una omnino dictio aduersus latini sermonis naturam in media adspiretur', quae licet tamquam sua Scaurus posuerit a M. Varrone accepit. consentaneum uero est ex hac lege eum excepsisse ea uocabula quae necessario H poscunt, ut *ueho traho*. scripsit autem *uemens* a ui mentis, *prensus* a prendendo, Graccus a gerendo, *coors* a coercendo, quamquam alii *cohortem* militum a mutua cohortatione, *coortes* uillarum unde cooriantur homines dicere maluerunt. in graecis quoque eundem spiritum amouere studuit, ut *coclea* eum protulisse scimus. ad Varronem quoque spectare uidentur extrema Longi uerba de hac re, *non firmum est catholicum grammaticorum quo censent aspirationem consonanti* (adde *in medio uocabulo*, ut Varronis mentem restituas) *non esse iungendam, cum et Carthago dicatur et Pulcher et Gracchus et Otho et Bocchus*, nam et Pulcrum Graccumque Varronem praecepisse, et reliqua cum eius legibus conuenire uidimus. cum uero parcissime ueteres Romanos spiritu usos esse testantur Quintilianus inst. orat. I 5, 20 et Terentius Scaurus p. 2249 (cf. Mommsen l. s. p. 33. Ritschl l. s. p. 53), Varro his legibus datis in uniuersum urbanum sequebatur dicendi usum, sed ad certas eum reuocare studuit regulas.

Loco Varroniano ab Augustino seruato reuersus eram ad illud a quo proficiscebar et nunc singulis perlustratis satis perspicuum et manifestum esse opinor libros de sermone latino stoicorum loco *περὶ φωνῆς* respondere, quod cuicunque Laertii Diogenis epitomen (VII 44. 55 sq.) inspicienti se offert. latinitas conuenit cum hellenismo: *ἑλληνισμὸς οὖν ἐστι φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ* (L. D. VII 59 cf. Sext. Emp. adu. gramm. 176 sq.), qua definitione analogiam maxime et consuetudinem attingi uides. in eadem dialecticae parte actum esse de uoce de litteris de pronuntiatione de accentibus de rhythmis de orationis uirtutibus et uitiis partim

Diogenes l. s. s., partim Varro ipse uerbis quae supra excripsi narrat[1]). desunt contra omnia uestigia in his libris partes orationis tractatas esse, quas stoicos eidem loco tribuisse non dubium est. has autem Varronem hic neglexisse puto, quia cum reliquo argumento non satis apte conuenire ei uidebantur, eumque eas in libro de grammatica exposuisse statim uidebimus. praeterea uero libros nostros ad rhetoricos libros περὶ λέξεως prope accedere nonnullis locis monui. qui libri perierunt omnes, sed quales fuerint cum ex libri Theophrastei περὶ λέξεως fragmentis quae conposuit Max. Schmidt l. s. l. p. 37 sq.[2]) intellegitur, tum ex Dionysii Halicarnasensis opusculi eximii de conpositione uerborum parte secunda (p. 112—286 Schaef.), in qua Theophrasto et Aristoxeno, e quibus Varro quoque hausit, auctoribus usus quaerit quae potissimum curae esse debeant τῷ βουλομένῳ τὴν λέξιν εὖ συντιθέναι eademque omnia tractauit, quae M. Terentium tractasse uidimus. quam arte in hac re coniunctae sint rhetorica et grammatica M. Antoni Gniphonis quoque grammatici, Ciceronis magistri, exemplo confirmatur, de quo Suetonius (de gramm. et rhet. 7) 'docuit autem' ait 'et rhetoricam, ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret uero nonnisi nundinis'. scripsit uero teste Ateio Philologo (ap. Suet. l. s.) nihil nisi libros II de latino sermone (cf. Quint. inst. orat. I 6, 23),

---

1) Stoicos quidem eadem qua in libris de lingua latina constantia sequi non potuit, quia ibi principia prorsus generalia tractanda erant, hic de latinorum uocabulorum pronuntiatione accentibus e. q. s. agebatur.

2) Posidonii quoque περὶ λέξεως εἰσαγωγήν (cf. I. Bake Posidon. Rhod. rel. p. 233. C. Wachsmuth philol. XVI p. 649 n. 4) Varronem fortasse adhibuisse supra uidimus p. 17. Antipater quoque Tarsensis scripsit περὶ λέξεως καὶ λεγομένων (Laert. Diog. VII 58), ubi λέξεως cod. Arundel. et teste Wachsmuthio cod. Burbon. 253 et Laur. plut. LXVIIII 13. 35, λέξεων cod. Laur. plut. LXVIIII 28, qui peioris est notae.

in quibus illud quasi confinium duarum disciplinarum explicuisse congruentemque rei titulum inscripsisse existimandus est.

Restat, ut quo tempore Varro hos libros conposuisse uideatur paucis significem. epistola illa Ciceronis (XII 6), qua Atticum rogat ut Tyrannionis librum modo absolutum sibi mittat, ad annum u. DCCVIII refertur. hoc ipso tempore uero eum in conscribendis libris de lingua latina occupatum fuisse eosque uix ante annum DCCX transmisisse uidimus (cf. supra p. 38). post hunc igitur annum libros in quibus Tyrannionis uolumen adhibebatur esse scriptos necesse est, nam eodem tempore duo amplissima opera inter manus eum habuisse non est cur statuamus. angustioribus finibus temporis spatium quo editi sint circumscribere ante non audeo quam quibus annis quodque opus sit tribuendum accurate quaesitum est. quod nunc quamquam multa certa sunt alia probabiliter conici possunt longum neque huius loci est. cum uero Tyrannionis aequalis scriptoris librum Varronem excussisse constet Heliodori quoque, cuius Horatius anno u. DCCXVII mentionem fecit, encheiridion in usum suum conuertere potuit, quod num ante uel post hunc annum ille, si quidem metricus est, scripserit sciri nequit. Marcellus autem ad quem haec uolumina misit quis fuerit nescio. de M. Claudio Marcello consule anni DCCIII, Pompeianarum partium cum Varrone socio, cogitarem, quem exercitationibus oratoriis studuisse bonarumque artium cupidissimum fuisse audimus (cf. Cic. Brut. 71, 249 sq.. Seneca cons. ad Helu. 9, 4. W. Drumann gesch. Roms II p. 393 sq.), nisi temporum ratio obstaret. interfectus est enim anno u. DCCVIIII. reliquorum Marcellorum quemnam tali honore dignum M. Terentius iudicauerit prorsus incertum est.

III

Operibus duobus, quorum argumenta indagare et restituere adhuc studuimus, leges quae uniuersam linguam regerent anquirere et inlustrare uoluit scriptor, altero philosophicis rationibus deditus, altero uocalem orationis partem persecutus. in reliquis libris, qui nunc recensendi sunt, aut particulam quandam eiusdem uberrimae materiae accuratius tractandam delegit, aut praecipua doctrinae grammaticae capita docendi magis quam quaerendi causa adumbrauit.

Alterius classis est liber de grammatica, quem disciplinarum primum fuisse Ritschelius (quaest. Varr. p. 6 sq.) demonstrauit. non autem quae modo dixi intellegenda sunt quasi maiora illa opera hic in usum discentium contraxerit, uerum ex uniuerso horum studiorum ambitu eas quaestiones, quae illo consilio proposito grauissimae uidebantur, explicandas prompsit. supra iam significaui hunc librum uertisse inter alia in orationis partium expositione, quam Pompeius, infimae quidem aetatis scriptor sed in hac re non male doctus, proprie grammaticorum esse adfirmat (p. 4 Lind. cf. Seru. in Donat. 1779): 'de uoce tractare quid est? (*male additur* uox) hoc philosophorum est; de litteris tractare omnium est, nam et orator quaerit litteras discere et ludi magister idem. de partibus (orationis) tractare hoc grammatici est'. constare uidetur non nisi de pronominibus a Varrone expositis. cum enim Probus eum inter artis latores numeret (inst. art. p. 48, 37 K.), hunc librum indicauit, nam maiora opera longe ab eo aberant,

quod hi scriptores artem dicebant. ex eodem libro mutuatus est quae in eisdem institutis artium (p. 152, 30) de aduerbiis a pronominibus deriuatis leguntur [1]), quibuscum conponenda sunt quae Cledonius p. 1905 et Pompeius ad Donatum (p. 239) e Varrone de pronominibus proferunt.

Orsus est, ut uidetur a grammaticae definitione, quam hanc esse uoluit: *grammatica est scientia eorum quae a poetis historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore* (fr. 91). eam egregie conuenire cum Dionysi Thracis definitione initio *τέχνης γραμματικῆς* proposita: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων* [2]) uidit Elink Sterk de parapleromat. in symb. litt. Belg. VIII p. 6 cf. M. Schmidt philolog. VIII p. 235. 247 et profecto prorsus eadem est, praeterquam quod pro *συγγραφεῦσιν* accuratius locutus historicos et oratores dicere maluit. duos autem huius scientiae gradus eum distinxisse, quorum alterum litterationem alterum litteraturam nuncupauit, coniuncta Augustini de ord. II 12, 35. 37, quem ex parte excripsit Isidorus orig. I 3, 1, et Martiani Capellae

---

1) Ter omnino in eo opere Varronem laudat Probus. non uidetur tertium testimonium ad librum quendam grammaticum spectare (p. 127, 31: 'quaeritur qua de causa Varro masculum et feminam auos pronuntiarit. hac de causa, quoniam quaecumque generis feminini nomina generibus masculinis reperiuntur esse coniuncta, haec sub sono generis masculini necesse est ut procedant'. eodem modo ante et post hunc locum quaestiones e Cicerone Lucilio Sallustio Vergilio sumpsit. cf. Ter. Scaur. p. 2251 P.

2) Eam definitionem Sextus Empiricus adu. gramm. 57 ita tradit: *γραμματική ἐστιν ἐμπειρία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων*, quam pro genuina Dionysi (nam huius scriptoris Aristarchi discipuli re uera opusculum illud esse demonstrauerunt G. Schoemann opusc. III p. 244 sq. M. Schmidt l. s.) definitione post Ptolemaeum Peripateticum apud Sextum l. s. 72 acceperunt Lehrs l. l. Schmidt l. l. p. 242, Schoemann l. s. p. 247, id quod Varronis auctoritate, qui manifesto Dionysii artem sequitur, non confirmatur.

III 229 p. 50 Gr. testimonia (fr. 92) euincunt, quos disciplinarum libros in usum suum conuertisse supra (p. 18) conmemorauimus. cum uero Augustinus Martianus Isidorus inferiorem grammaticae gradum, grammaticae quasi infantiam, *litterationem* a Varrone dictam fuisse testentur, hinc corrigendus est Asper I 2 p. 1725 P. ibi enim legitur in codice Vaticano 1492 teste Henrico Brunn: *grammatica est scientia recte scribendi et enunciandi interpretandique rationem uerborum. quam Terentius et Varro primum ut adhuc rudem appellatam esse dicit litteraturam.* definitio mutila esse uidetur K. Lehrsio (anal. gramm. post Herod. scr. tria p. 389) neque ex Varrone translata est, reliqua uero sic scribenda sunt: *quam Terentius Varro primum ut adhuc rudem appellatam esse dicit litterationem;* errauit autem F. Lindemann (ad Asprum p. 309), qui ex Aspro Isidorum corrigere uoluit, litteratura enim erat altera maior et quasi superior grammaticae forma. idem discrimen fecerunt graeci, quod praeter alios testatur Philo Iudaeus *περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδ. συνόδ.* I p. 540 Mang.: *τό γε μὴν γράφειν καὶ ἀναγιγνώσκειν γραμματικῆς τῆς ἀτελεστέρας ἐπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι· τῆς δὲ τελειοτέρας ἀνάπτυξις τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν.*[1]) copiosius eandem rem tractat Sextus Empiricus adu. gramm. 44 sq., alteriusque *τὸ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς τούτων συμπλοκὰς διδάσκειν* esse dicit, in altera uero *τῇ τελείῳ* uel *βα-*

---

1) Cf. eundem l. s. s. p. 530. 521. idem *γραμματιστικὴν* adpellat *π. τοῦ θεοπόμπ. εἶναι τοὺς ὀνείρ.* p. 652 *παιδικὴν γραμματικήν.* cf. schol. Dion. Thrac. p. 667, 17: *καὶ ἡ γραμματικὴ δὲ κατὰ τὸν παλαιὸν ἐν δύο σημαινομένοις ἦν. τὴν μὲν γὰρ μικρὰν ἐκάλουν, ἥ τις ἦν τέχνη περὶ τοῦ γράφειν καὶ ἀναγιγνώσκειν τὴν ἐγγράμματον φωνὴν τούς τε χαρακτῆρας τῶν γραμμάτων εἰδέναι καὶ τὰς συλλήψεις αὐτῶν ἤγουν τὰς συλλαβάς· τὴν δὲ μεγάλην ἐκάλουν τὴν ἐπὶ τοὺς ποιητὰς θεωρίαν, ἥν τινα νῦν ἐξηγοῦνται οἱ γραμματικοί, καί ἐστιν αὕτη τέχνη θεωρητικὴ τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ λογεῦσιν.* iam apud Platonem Euthyd. p. 276A *γραμματιστὴς* occurrit.

θυτέρα γραμματικῇ Aristophanum Aristarchorumque ingenium atque studia uersari. cum hac uero diuisione, quam secundum graecos Varronem protulisse uidemus, conexae esse debent duae expositiones de grammaticorum officiis[1]), quae inter se diuersae nec altera ex altera deriuanda et graecorum explicationibus in uniuersum respondentes a grammaticis traduntur. grammaticae enim officia sunt secundum alteram *scribere legere intellegere probare* (fr. 91), secundum alteram *lectio enarratio emendatio iudicium* (fr. 93). rationem, quae inter has intercedat, breuiter sic possumus significare ut priorem ludimagistri, alteram philologi quem hodie adpellamus munus continere dicamus. priorem autem num Marius Victorinus I 1, 6 p. 2451 P. recte tradiderit dubito, cum et graeci scriptores de legendo tantum et scribendo in hac re loquantur et latini, qui eundem Varronis librum ante oculos habuerunt, ut Diomedes p. 426, 18, quem excripsit Seruius in analectis Vindobonensibus p. 512, Maximus Victorinus 2 p. 1937 P. recte scribendi loquendique rationem conmemorent et Martianus Capella III 230 p. 51 Gr. haec duo disertis uerbis ab reliquis secernat: *officium uerum meum tunc fuerat docte scribere legereque. nunc etiam illud accessit, ut meum sit erudite intellegere probareque.* quare nescio an Victorinus, quem duas illas officiorum explicationes apud auctorem suum repperisse ueri simile est, eas confuderit, quae dubitatio augetur si singula perlustramus. in *scribendo* non uideo cur offenderit Lehrs l. s. p. 437, cum id graecorum grammaticorum uerbis confirmetur; *legere* hic simpliciter litterarum peritiam significat, qua instructi pueri scriptum quoddam recitare possunt; *intellegere* quoque quodam modo ad inferiorem grammaticam referre possimus, nisi accederet *probare*. hoc autem

---

1) Non dubito quin eadem causa qua rhetores oratorum officia persecutos esse Spengelius docet nou. mus. rh. XVIII p. 493 hanc officiorum descriptionem grammatici excogitauerint.

uereor ut in priore diuisione Victorinus inuenerit, nam uix quomodo id a iudicio quod ad alteram spectat discernas praesto est[1]), etiamsi Diomedem secutus aestheticam quam dicunt aestimationem segregaueris et illud tantum iudicium respexeris *quo omnem orationem recte uel minus quam recte pronuntiatam specialiter iudicamus* (p. 426, 29), hoc quoque non puerorum esse fatebere. quibus omnibus consideratis Victorinum uel errore uel neglegentia peccasse et duo priora tantum Varronem posuisse persuasum mihi est. quis uero primum huius grammatisticae, quam uitae usus a grammatica distinxerat, officia data opera circumscripserit quaerenti certi quid respondere tibi non licet; suspicor uero Asclepiadem Myrleanum[2]) hoc fecisse. neque a quo altera diuisio profecta sit dici potest. prope quidem acce-

---

1) Nisi probare pro *δηλοῦν* accipiendum esse et duas officiorum enumerationes ita fere ut in scholiis ad Dion. Thr. p. 659, 1 inter se coniunctas fuisse putas.

2) Ex Sexti Empirici adu. gramm. 47: *τάχα δὲ ὡς φασὶν οἱ περὶ τὸν Ἀσκληπιάδην, καὶ αὐτὴ ἀπὸ μὲν γραμμάτων ὠνόμασται, οὐκ ἀπὸ τούτων δὲ ἀφ' ὧν καὶ ἡ γραμματιστική, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἀπὸ τῶν στοιχείων, αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων περὶ οἷς πονεῖται* sequitur Asclepiadis discipulis (qua loquendi formula plerumque nihil nisi praeceptoris sententia intellegenda est) hanc partitionem notam fuisse. Asclepiadem illum esse Myrleanum negauit Lehrs l. l. p. 436, quia Dionysii artem, quam Asclepiadem nostrum legisse constat (Sext. Emp. l. s. 72), post Myrleani tempora conscriptam esse putabat. hanc offensionem cum sustulerit M. Schmidt in conmentatione saepius adlata (cuius cf. p. 510) nihil obstat, quominus nostrum pro Myrleano accipiamus. fuit hic Cratelis discipulus (cf. C. Wachsmuth de Crat. Mall. p. 6), Cratetei autem qui crisin a grammatica tamquam maiorem discernere solebant, facile quoque gradum alterum, bonorum ludi magistrorum munus, seiungere potuerunt. optime autem conuenit temporum ratio. Asclepiadem Myrleanum 'primo ante Christum n. saeculo ita ut certe natales ante annum septuagesimum ponendi sint' floruisse ostendit Lehrs l. s. p. 432 cf. M. Sengebusch diss. Hom. I p. 61, aetas igitur eius inter Dionysii Thracis et Varronis tempora intercedit.

dit ad eam, quam Dionysius habet (p. 629 Bekk. cf. Sext. Emp. adu. gramm. 252): πρῶτον ἀνάγνωσις ἐντριβὴς κατὰ προσῳδίαν, δεύτερον ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους, τρίτον γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις, τέταρτον ἐτυμολογίας εὕρεσις, πέμπτον ἀναλογίας ἐκλογισμός, ἕκτον κρίσις ποιημάτων· ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ. pro qua deinde [1]) hanc ualuisse testatur scholiasta p. 736, 5: τὸ πάλαι μέρη τῆς γραμματικῆς ἦν τέσσαρα καὶ εἰσὶ ταῦτα· διορθωτικὸν ἀναγνωστικὸν ἐξηγητικὸν κριτικόν. hanc igitur Varro secutus est et singula quo fere modo definierit e Diomede, qui hoc fragmentum (93) seruauit conligendum, nam non modo ipsius Varronis uerba mutauit et satis neglegenter rem egit, uerum etiam de suo haud pauca addidit. explicationes enim omnium quattuor officiorum e duobus membris constant, quorum priora aut ipsum excogitasse aut ex alio scriptore sed minime Varrone adiecisse non dubium est. id quod statim in primo officio conspicuum est. dicit enim: ‘lectio est artificialis interpre-

---

1) Idem scholiasta p. 737, 22: ἐὰν οὖν τὸ πάλαι τέσσαρα μέρη ἦν τῆς γραμματικῆς, πῶς νῦν ἓξ αὐτά φησιν ὁ Διονύσιος; τὸ ἓν ἐξ αὐτῶν ἐτμήθη εἰς τρία καὶ τὰ μὲν ἄλλα τρία γεγόνασιν ἕξ. τὸ ποῖον ἐτμήθη εἰς τρία; τὸ διορθωτικόν. cf. p. 659. 671. 683. 728. E. Meier opusc. II p. 21 sq. sed euidenter errauit qui haec scripsit. ex tribus partibus enim, quas in διορθωτικῷ coniunctas esse dicit, prima (γλωσσῶν καὶ ἱστοριῶν ἀπόδοσις) omnino non ad διόρθωσιν sed ad ἐξήγησιν paullo plus quam apud Dionysium amplificatam pertinet et similiter reliquae duae, analogiae et etymologiae inuentio, quamquam hae praesertim analogia non raro emendationis duces erant; Dionysius uero de earum in διορθώσει usu nihil significat. uerum potius haec altera diuisio ex Dionysiana orta est (cf. H. Steinthal gesch. d. sprachw. p. 547), sed prorsus alio spectat. Dionysius enim in sua diuisione sex omnino partes praecipuas grammaticae quae tunc erat conprehendit, altera tamen ad praeclaram tantum industriam doctorum uirorum pertinet, quae in legendis recensendis aestimandis poetarum scriptorumque libris uertebatur, et egregie summam rerum conplectitur.

tatio uel uaria cuiusque scripti enuntiatio seruiens dignitati personarum exprimensque animi habitum cuiusque', quae inter se non conuenire adparet priusque illud male huc inlatum et eiciendum est. alterum conuenit cum Dionysio p. 629: *ἀνάγνωσίς ἐστι ποιημάτων ἢ συγγραμμάτων ἀδιάπτωτος προφορά. ἀναγνωστέον δὲ καθ' ὑπόκρισιν, κατὰ προςῳδίαν, κατὰ διαστολήν,* ut non dubitem quin *artificialis interpretatio* accentum et discretionem expulerit. enarrationis explicationem uel latinitas arguit non accurate secundum Varronem positam sed generaliter ex eius mente perscriptum esse, qua in re hic quoque quaedam omissa esse uidentur. respondet enim Varronis enarratio Dionysii *γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν ἀποδόσει,* e quibus historiam id est fabulam poetae argumentumue scriptorum, quod Varronem neglexisse nego, frustra quaeris. de emendatione haec habet Diomedes: 'emendatio est qua singula pro ut ipsa res postulat dirigimus aestimantes uniuersorum scriptorum diuersam sententiam uel recorrectio errorum qui per scripturam dictionemue fiunt'. ut primum de secundo membro loquar, mirum sane est, cum in tota hac expositione de ea agatur grammatica, quae in legendis interpretandisque poetis uertitur, quid sibi hic uelit dictio. dictio Diomedi idem est quod *λέξις*,[1]) *λέξις* autem aut uitiosa aut iusta est, et error qui per dictionem fit in libro scripto idem est atque is qui per scripturam fit, nisi non aptis scriptor utitur uerbis, quae corrigere non licet, ne arbitrariae rationes ualeant et scriptorum proprietas extinguatur. quare *dictionem* ferri non posse maleque scriptam esse pro *dictatione* censeo, quod uocabulum apud scriptores posterioris aetatis non raro occurrit (Paul. digest. XXVIIII 1, 40. Hieronym. adu.

---

1) Diom. p. 436, 10: 'dictio est uox articulata cum aliqua significatione, ex qua instruitur oratio et in quam resoluitur; uel sic: dictio est ex syllabis finita cum significatione certa locutio, ut est dico facio'.

Vigilant. 3: *dictatiuncula.* Symmach. epist. VI 4). errores autem in antiquorum libris aut praue scribendo aut praue dictando nascebantur. alterum membrum ad res a scriptoribus traditas spectat, quae secundum singulorum sententiam et auctoritatem accipiendae sint, quod historici uel mythologi, sed non emendatoris est. iudici membrum secundum de aesthetica scriptorum aestimatione quae Dionysii κρίσις est, agere uidimus, prius autem si *pronuntiationem* premis ad lectionem referendum est, si pronuntiatum pro *dictum* accipis, idem fere quod alterum membrum continet; uera enim carminis cuiusdam uel scripti aestimatio non perficitur nisi singulis ponderatis, num recte an praue dicta sint. cum uero in lectione emendatione iudicio priora membra male se habere uel saltem ad Varronem referri non posse nunc manifestum sit, idem de enarratione ualet, ubi 'obscurorum sensuum quaestionumue explanatio' et barbare dicta et superuacanea est (cf. Sext. Emp. adu. gramm. 93). sic quantum fieri potuit Varronis doctrina [1]) recuperata, adparet quam arto uinculo cum Alexandrinorum praeceptis ea coniuncta ac copulata sit.

Paucis nunc quaerendum est, num haec harum rerum coniunctio quae nititur in fragmento 91, fortasse aliis rationibus defendi possit. Ritschelius enim, cum has duas diuisiones inter se non conuenire uideret, priorem ad grammaticam, alteram ad aliud quoddam opus rettulit (quaest. Varr. p. 7). primum autem Victorinum et Diomedem, apud quos haec testimonia extant, multis rebus ita consentire uidimus, ut necesse sit eundem auctorem usurpauerint. ille igitur auctor initio operis sui Varronis grammaticam consuluit et inde quae apta ei uidebantur satis accurate transtulit. ex eo (nisi quod in his rebus ubique

1) Steinthal l. l. p. 547 in Diomedis socordiam et neglegentiam nimis festinanter inuexit neque quid apud eum melioris esset notae excussit.

dubium est num alii quoque praeterea intercesserint) Diomedes p. 426 primum Varronis definitionem paullo mutatam sumpsit: *tota grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione* 1); cum hac priorem officiorum enumerationem, hanc quoque non inmutatam, coniunxit: *et in recte loquendi scribendique ratione,* ubi Varronem recte *legendi* scribendique rationem posuisse ueri simile est. deinde sequitur altera officiorum diuisio, quam supra tractauimus. sin Diomedes haec omnia apud auctorem suum repperit, quod non est cur dubitemus, admodum probabile fit eundem auctorem a Victorino, qui post integram Varronis definitionem turbatam illam seriem officiorum habet, neglegentius excriptum esse. accedit autem aliud. si enim has officiorum enumerationes diuersis operibus tribuere uis, priorem cum grammaticae definitione a Victorino coniunctam grammaticae adscribere, alteram ad libros de sermone latino, quos a Diomedis auctore saepe adhibitos esse constat, referre debes. tum uero cum definitione e Dionysio Thrace sumpta, grammaticae diuisio quae ab eo aliena est coniungitur, altera contra quae ab eodem repetita est ideoque si ueri similia sequimur, cum illa definitione conexa erat, ab ea abscinditur. quod cum aduersus probabilitatem pugnet, ratio nostra hac uia confirmatur. qui uero his contemptis argumentis secundam diuisionem libris de sermone latino adsignare uolt, adminiculum quoddam huius sententiae in Maximi Victorini capite de lectione (p. 272 Lind. p. 1938 P.) inueniri facile sibi persuadeat. ibi enim post eandem alteram officiorum enumerationem quam Diomedes habet haec leguntur: *partes lectionis sunt quatuor: accentus discretio pronunciatio modulatio,* eaedemque partes 2) subtilius quam a Maximo explicatae

1) Ea satis bene cum fragmento 91 conuenit; *praecipue* illud ortum est e Varronis uerbis *ex parte maiore,* quae non recte intellexit Diomedes.

2) Singulariter in multis conuenire Maximum Victorinum et

recurrunt apud Diomedem p. 430, 29. 436. 24. 436, 19. 439, 11. quae adprime apte in libro de sermone latino ita legi potuisse manifestum est, ut neglectis ceteris grammaticae partibus lectio accuratius tractata sit et ab hac praefatione transitus ad librorum argumentum, quod magna ex parte arte cum his rebus cohaereat, sit factus. sed quamuis hoc facile placeat [1]), uerum non est. nam eodem modo atque apud Maximum Victorinum (et Diomedem) a Dionysio Thrace cuius arti Maximi libellum perquam similem esse M. Schmidt l. s. p. 421 ostendit, ἀνάγνωσις exponitur, cuius diuisioni [2]) modulatio addita est. etiam hac igitur uia ad Dionysium repellimur, ut nihil iam restat, quam ut in ea quam supra proposui dispositione acquiescamus. ex illo autem consensu Maximi Victorini cum Diomede ualde ueri simile est, Varronem etiam in hac re Dionysium secutum et post grammaticae diuisionem lectionis partes accurate persecutum esse, sed uereor ne in singulis Varronis doctrina admodum obscurata sit, ut eius uestigia [3]),

---

Diomedem uidit L. Spengel allg. schulzeitg. 1832 II p. 286, ut supra monui. sed consensus ille magis in dispositionibus quam in rebus conspicuus est (exempli gratia cf. adnotationem ad fr. 93), nam omnia fere doctiora apud Victorinum desunt. quem e Diomede hausisse non credet, qui rerum diuersam tractationem et diuersum ordinem spectat. tertium igitur habemus testem, quamquam longe a fonte remotum, de libro Varroniano.

1) Melius quam Maximi lectionis expositio Theodosi, qui Dionysium secutus est (cf. Villoison anecd. gr. II p. 102 sq. Bekkeri anecd. gr. II 676. gramm. post F. Osanni Philemon. p. 303), ἀναγνώσεως explicatio cum librorum de sermone latino argumento conueniret, unde quam fallacia talia sint adparet.

2) Dionysii de accentibus sententiam in libro tertio de sermone latino a Varrone prolatam fuisse supra uidimus (p. 59).

3) Nihil fere ad Varronem rettulerim nisi fundamenta eorum quae p. 437 sq. de posituris leguntur conlatis Aristophane in Pseudo-Arcad. p. 214 sq. Schm. et Dionysio p. 630.

quae in hac expositione lateant, felicioribus expiscanda relinquam.

De litteris in grammatica actum esse res ipsa postulat et testatur Cornutus Cassiodori p. 2286 P. eidemque tribuo quod Probus tradit, nomina litterarum indeclinabilia esse (fr. 94). de litteris autem teste Cornuto (fr. 95) haec Varro scripsit 'litterarum partim sunt et dicuntur ut A et B, partim dicuntur et non sunt ut H et X, partim sunt neque dicuntur ut Φ et Ψ'. deinde de uocalium et consonantium natura et coniunctionibus agere debuit, ut Dionysius Marius Victorinus Martianus Capella. ex huius uero uerbis III 263 p. 59 Gr.: *haec cum grammatica diceret, eamque progredi Iuppiter Deliusque praeciperent, hic Pallas 'de iunctura syllabarum' inquit 'dum haec litteratura deproperat, partem historicam praetermisit'* fortasse conligendum etiam historicas de litteris obseruationes a Varrone additas fuisse, nam quanti momenti talia in Martiano sint, docuit C. F. Hermann praef. ed. Kopp. p. XX, cui accedit quod etiam Marius Victorinus I 4 p. 2456 P. multa de eadem re profert; quid uero ex hoc libro sumpserit eo incertius est, quia praeter Varronis de H et X doctrinam, ad quam I 3, 8. 10 p. 2455 P. cf. Mart. Cap. III 259 p. 58 Gr. spectat, etiam quae cum libris de antiquitate litterarum et de origine linguae latinae conueniunt habet. sequebantur sine dubio syllabae, fortasse etiam breuis disputatio de uocabulis et enuntiatis. sed haec etiamsi ueri similia incerta sunt, cum nec quatenus Dionysium Varro secutus sit sciamus, nec Martiano Capellae satis confidere licet, ut eo solo auctore nisi aut disertis uerbis Varronem excitat aut alia accedunt de qualibet re a Varrone tractata quidquam statuamus. denique de partibus orationis egit.

Quot autem partes statuerit extra dubitationem positum non est. crederes eum cum Dionysii artem legerit, hunc uel potius Aristarchum (Quint. inst. or. I 4, 20) secutum esse, qui has posuerunt: nomen uerbum participium

articulum pronomen praepositionem aduerbium coniunctionem (cf. Apoll. de constr. I 3 p. 10 Bekk.). sed hoc incertum est, etiamsi e libris de lingua latina et quibusdam aliis testimoniis constat, plerasque Alexandrinorum partes ei notas fuisse. in quattuor partes eum orationem in libris de l. l. diuisisse supra (p. 28) exposui: uocabula quae habent casus, quae tempora, quae utrumque, quae neutrum, quarum tres priores respondent Alexandrinis praeterquam quod prima etiam articulos et pronomina conplectitur, quarta Varronis Alexandrinorum praepositionem aduerbium coniunctionem conprehendit. hanc diuisionem secutus pauca quae huius generis extant percurram, deinde num eandem disputationis suae fundamentum Varro esse uoluerit dicam.

Primae classis 'partes sunt quattuor, e quis dicta a quibusdam prouocabula quae sunt ut quis quae, uocabula ut scutum gladium, nomina ut Romulus Remus, pronomina ut hic haec. duo media dicuntur nominatus, prima et extrema articuli. primum genus est infinitum, secundum ut infinitum, tertium est finitum, quartum ut finitum'.[1]) nomina et uocabula, quae duae diuersae orationis partes stoicis erant, sine dubio in grammatica quoque distinxit. ad alterum genus duae spectant obseruatiunculae. primum enim praecepit (fr. 97) *lact* in nominatiuo dici debere,[2]) cuius genetiuus sit *lactis*. quamquam enim Probus scribit (cathol. I p. 7, 3 K.): *c littera unum nomen reperitur terminatum generis neutri declinationis tertiae, is enim facit genetiuo: hoc lac lactis. quidam putant hoc lact debere dici, sed non legi nisi in Varrone de lingua latina,* et Spengelius philologi XI

1) In hoc loco (de l. l. VIII 45 p. 424 sq.) scribendo Spengelium et Augustinum ab eo laudatum sequor.

2) cf. W. Freund in Iahni annal. V 1832 p. 100. Ritschl nou. mus. rh. VII p. 606 sq. H. Wentzel symb. crit. ad hist. scr. rei metr. lat. p. 33. I. Vahlen anal. Non. p. 10. L. Mueller de re metr. poet. lat. p. 379. W. Corssen krit. beitr. z. lat. formenl. p. 578.

p. 402 codicem Florentinum de lingua latina V 104 p. 106 *lact* praebere testatur, obtemperandum esse duco Diomedi p. 303, 7 qui *lac* exterminasse Varronem tradit, et Pompeio XVIII 2 p. 233, qui de certo quodam Varronis praecepto in hac re loquitur. aliter Varronem statuisse narrat Cledonius p. 1904 P.: 'lact (lacte *cod. Bern. 380. Putsch.*) ait Varro non dici, numquam enim nomen ex duabus mutis terminatur aut currit: hoc lacte'. sed aperte confudit Varronem cum Caesare qui teste Pompeio (cf. supra p. 55) nullum uocabulum duabus consonantibus terminari uoluit, ut Cledonius aut Pompeium aut eius auctorem male excripsisse uideatur. omnino enim Donati interpretes in tot rebus congruunt, quod exigua ex parte docet adnotatio nostra ad fragmenta 99. 100, ut omnes ex uno eodemque doctiore conmentario hausisse aliumque plura alium pauciora inde sumpsisse existimem. in eo autem conmentario conscribendo Varronis grammaticam adhibitam esse ex fragmentis modo adlatis conligendum ideoque hanc quoque obseruationem de forma *lact* eodem refero, quod Martiani (III 256 p. 57 Gr.) consensu confirmatur. praeterea huc spectare quod Charisius (p. 131, 10) de graecis uocabulis -a terminatis tradit (fr. 98) supra (p. 34) iam indicaui, cum in libro de grammatica breuia de iustis uocabulorum formis praecepta dari oporteret, quale hoc fuisse uidetur.

Pronomina prouocabulis Varro non opposuisse (quamquam in ipsis rerum nominibus posterioribus grammaticis non ualde confido), sed duas has classes pronomina nominasse uidetur. diuisit ea in primigenia et deductiua (fr. 99), ut *quis* et *quisquam quispiam*. primigenia autem erant uiginti unum, quorum quattuor classes, quas contra Donatum duas tantum proferentem[1]) Pompeius Sergius Cledonius

1) Donat. II 11, 2 p. 1752. cf. Sergius p. 1847 P.: Probus autem pronomen in quatuor partes diuidi putauit, id est pronomen infinitum, finitum, minus quam finitum et possessiuum. quod non uide-

enumerant, ad Varronem pertinere credo. adferunt quidem huius rei auctorem Probum, in cuius institutis artium p. 131, 25 hoc legitur, sed primum Varro accurate quae pronomina essent primigenia indicare debuit, deinde hoc prope ad stoicorum doctrinam accedit,[1]) talesque partitiones Varronem adamasse uel locus suprascriptus e libris de lingua latina docet. uoluit enim pronomina aut finita (ego tu ille[2])) aut minus quam finita (ipse iste is hic idem sui) aut infinita (qui uel quis qualis talis tantus quantus quotus totus) aut possessiua (meus tuus suus noster uester) esse,

---

tur habere rationem. unde Donatus melius qui in duas partes in primo diuisit. nam si ea sunt finita pronomina, quae recipiunt personas, alia omnia quae non recipiunt personas infinita dicenda sunt; unde apparet quod infinita et minus quam finita et possessiua sunt. quod quam bene ad artem logicam accommodatum sit doceat Cledonius p. 1906: 'minus quam finita sunt quae nec finita sunt nec infinita, nam iste et ipse et de praesentibus dicimus et de absentibus'.

1) Prisc. XIII p. 548: 'stoici enim articulum et pronomen unam partem orationis accipiebant, infinitum articulum uocantes, quem grammatici articulum, eique adiungentes etiam infinita nomina uel relatiua, . . . finitum autem articulum dicebant idem stoici, quod nunc pronomen uocamus finitum, quod et uera ratione solum pronomen est dicendum; ergo Romani quoque artium scriptores stoicorum secuti magis traditionem pronomina finita dixerunt et infinita, nam articulos non habent e. q. s.' — aliter Dionysius Thrax p. 640 Bekk. cf. Apoll. de pron. p. 4 cl. M. Schmidt l. s. p. 513. G. Schoemann lehre v. d. redeth. p. 119 sq.

2) Num *ille* huic classi adnumerauerit dubito cf. Diom. p. 329, 5: 'qualitas finita in prima et in secunda persona est, infinita et minus quam finita in tertia inuenitur. finita est, quae notat certum numerum et certum gestum dirigit ad certam personam ut ego. infinita est, quae certam non recipit personam sed cuilibet potest aptari, ut quis quae quod, minus quam finita est quae certis et incertis personis aptari potest, ut ipse'. Seru. ad Don. p. 1785: '*ille* plerumque uariatur, nam si ad praesentis personam refertur, tunc recte finitum est; si de absente dicatur, minus quam finitum est'.

ut ex eo Probum et Isidorum orig. I 7, 2. 3. 6 hausisse existimem. hanc autem diuisionem a Varrone profectam esse confirmant quae Probus instit. art. p. 151, 30 ex eodem de aduerbiis a pronominibus deriuandis profert (fr. 102). aduerbia enim e sedecim pronominibus fieri docuit, quae secundum illam partitionem enumerantur: ex *ille*, ex *iste hic idem*, ex *qui (quique quicunque quidam quispiam aliquis) qualis*, ex possessiuis. [1]) in hac quidem re duorum scriptorum auctoritati cedendum erat, non tamen credo Cledonio p. 1905 P., qui omnia pronomina succedanea Varronem dixisse contendit. ita enim optime correxit Petrus Bondam uar. lect. II 2 p. 115 cf. L. Lersch sprachphil. d. alt. II p. 151 quod in codice Bernensi 380, quo ipso uel simillimo Putschius usus est, legitur: ‘pronomen quia non (non *om. cod.*) fungitur officio nisi praemisso nomine, ideo haec pars a Varrone *succedat in ea* dicitur’ (fr. 100). succedaneum bene adpellari potuit relatiuum, ut *is* et *ipse* a Prisciano (I p. 579, 20. 580, 14), *is* et *tantus* a Diomede p. 329, 20. 331, 5. cf. Char. 163, 28 subiunctiua nuncupantur. cum autem nomen pronominibus personalibus nunquam praemittatur, ea tantum pronomina succedanea Varro dicere potuit, quae re uera nominibus succedunt.

De uerbis et participiis (de l. l. VIII 58 p. 434) uel participialibus (de l. l. X 34 p. 564) cum nihil e grammatica seruatum sit ad quartam orationis partem transeo, quae praepositiones aduerbia coniunctiones conprehendit. quorum nominauit quidem copulam (de l. l. VIII 10 p. 399) uel iungendi partem (de l. l. VIII 44 p. 424). sed praeterea

---

1) His coniunctis testimoniis obsecutus sum, quamuis alia diuisio a Prisciano XII 1. tom. I p. 577 (cf. p. 575) prolata, secundum quam octo pronomina primitiua (ego tu ille ipse iste hic is sui), septem deriuatiua (meus tuus suus noster uester nostras uestras), reliqua quae uolgo huc referuntur nomina sunt, simplicior sit meliusque cum Dionysio (p. 640, 22) conueniat.

nihil de hac traditum est. praepositiones contra non agnouisse uidetur; quamuis enim *ad ab in ex*, sed *re* quoque et ut uidetur *dis* praeuerbia dicat (de l. l. VI 38 p. 217 sq.), ea in libro nostro aduerbia localia adpellauit. ad hunc enim pertinere arbitror quae ad calcem Scauri de orthographia p. 2262 sq. leguntur nulloque uinculo cum praemissa expositione coniuncta sunt. ad finem enim iam antea Scaurus librum perduxerat p. 2262 'haec sunt quae urgenti tempore complecti tibi in praesentia potui Theseu; si quid exemplis defecerit uel quaestionibus subiungetur, nam, quod ad rem maxime pertinet regulam uides'. deinde continuo secuntur quaedam de scriptura aduerbii temporis *cum*, quae excipiuntur longiore disputatione de aduerbiis localibus e Varrone exscripta, denique adiectae sunt breues obseruationes orthographicae et secunda clausula, qua iterum breuitatis ueniam petit qui eam scripsit. uix credibile est Scaurum tam neglegenter libros suos conposuisse, quam ob rem ab alio quodam homine, qui simul Scauri epilogum discerpsit, illa interposita esse suspicor. sed quisquis ille erat, bene de nobis meruit, quod tam luculentum pannum doctrinae Varronianae nobis seruauit. expositio illa de aduerbiis Varroni diserte adscribitur eamque totam interiectis quibusdam alienis e Varrone fluxisse uidit C. Lachmann ad Lucr. III 835 p. 186: 'sunt autem illae tres Putschii paginae excerptae e libro Varronis, sed interpolatae iis quae alio modo concepta leguntur in grammaticis Eichenfeldii p. 452'. optime enim intellexit a Varrone non profecta esse quae nimia uerbositate de scribendis *e* uel *ex*, *a* uel *ab* p. 2262 sq. leguntur et similiter e codice Parisino 7520 a Vindobonensibus edita sunt. his igitur reiectis [1]) reliqua libro de grammatica (fr. 101) tribuo,

1) Etiam quae hanc disputationem excipiunt (p. 2264) de rebus orthographicis Lachmannus ad Varronem rettulit. sed quamuis per se probabile uideatur omnia interpolatorem ex uno eodemque

quia ex disputatione de aduerbiis temporum et locorum, quae igitur ordinem orationis partium sequebatur, sumpta sunt taliaque breuia praecepta recte loquendi perbene huic operi conueniunt. de temporum aduerbiis nihil excripsit ille nisi *cum* per *c* scribendum esse; quae secuntur aliis tribuuntur et Varrone indigna sunt. etiam expositio de locorum aduerbiis interpolationibus quibusdam et lacunis turbata et mutilata est, et praeterea ille prout aliquid ei in Varronis libro notabile uidebatur transcripsit, ordine rerum prorsus contempto, quod in tali fragmento ab homine quodam non indiligenti suum in usum alii libro addito non admodum mirum est. exposuit igitur Varro satis copiose de usu horum aduerbiorum, ubi adhibenda ubi uitanda essent, semper conparatis similibus loquendi formulis. ita cum uerbis mouendi *e* aduerbium, ut eius termino utar, non *de* coniungi iussit, ut *e prouincia, e senatu redeo,* 'nam de prouincia existimamus cum de ea bene aut male praedicamus'. qua in re reliquorum quoque aduerbiorum significationem respexit et explicuit, ut *e contione uenit, in contione stat, de contione loquitur,* item *e scena* uenit actor, *a scena* spectator, contra spectator *e theatro,* actor *a theatro, de scena* loquitur, *in scena* pronuntiat actor secundum graecorum loquendi morem, secundum latinorum *pro scena,* 'nam exiit e scena'. similiter *pro rostris* 'is contionatur qui his dicit qui ante rostra sunt, pro rostris enim et ante idem sunt'. ut *e prouincia uenire,* ita etiam *e tabulis recitare, e senatus sententia* dicendum esse censuit, sed litteris perperam inscribi *datae e Gallia* uel *in Roma,* nam in loco dari. etiam de his aduerbiis cum uerbis con-

---

libro sumpsisse, res tamen tam diuersae et discrepantes inter se sunt, ut in hac re Lachmannum sequi non audeam, cum circumspecte et caute hic agendum esse doceat satis ampla de *ex* et *ab* scribendis expositio, quam ipse a Varrone alienam esse iudicauit, et memoria *aliorum* statim in initio excerpti posita.

positis locutus est ut de discrimine inter *describere* et *transcribere,* et scribendi rationem non prorsus neglectam fuisse ostendit id quod *ebibit* pro *exbibit* scribi conmemorauit.

In explicandis igitur orationis partibus nec Dionysium cuius praepositiones et pronominum diuisionem neglexit, nec stoicos, quorum terminos frustra quaeris, secutus est, quantum ex relliquiarum paucitate conligi potest, etiamsi in singulis exponendis, ubi fieri potuit, et illius et horum doctrinam respexit atque transtulit. itaque eandem diuisionem, quam in libris de lingua latina protulit, repetiisse et pro fundamento adhibuisse censendus est. idem Cledonius p. 1861 P. significat, e cuius testimoniis quattuor Varronianis duo ad grammaticam pertinere exposui, unum quamquam probabiliter supra ad librum undecimum (fr. 9) de lingua latina relatum, eodem fere iure grammaticae tribui poterat[1]). itaque ad eandem quartum quoque Cledoni fragmentum spectare ueri simile est, quo quattuor orationis partes Varronem statuisse diserte adfirmat (fr. 96), quam partitionem eandem fuisse, qua secundum naturam diuisa (cf. C. Lachmann ad Lucr. V 1006 p. 328) in libris de lingua latina utitur, res ipsa clamat. cum uero omnes posteriores grammatici latini octo habeant partes orationes, antea id a Varronis[2]) in libro de grammatica auctoritate repetendum esse existimaui, nunc omnibus consideratis hanc sententiam abicio primumque a quo posteriores pendent Palaemonem fuisse conicio memor Quintiliani ita scribentis (inst. or. I 4, 20): 'alii tamen ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes secuti sunt ut Aristarchus et

1) De generibus utroque loco tractandum erat et non dubitarem fragmentum illud grammaticae uindicare, nisi haud pauca Donati interpretes Plinio debere scirem, quem praecipue libris de lingua latina usum esse supra uidimus.

2) Pro articulo enim latini ad explendas octo partes interiectionem, a graecis aduerbio adnumeratam (cf. Dion. Thr. p. 642, 3. 11. 17) addiderunt, quam Varroni notam fuisse ostendit fr. 81.

aetate nostra Palaemon, qui uocabulum siue appellationem nomini subiecerunt tanquam species eius'. cum Aristarcho enim, qui primus omnium hanc diuisionem protulit, ne praeceptorem quidem suum ita conponere Quintilianus potuit, nisi re uera ante eum nemo Latinorum idem fecerat. quod autem in breui talium diuisionum historia quam Quintilianus l. s., Priscianus II 16, I p. 54 sq., Pompeius ad Don. p. 82 sq. habent, Varroniana partitio non conmemoratur, id factum esse adparet, quia haec noua et minime usitata erat, illi autem generalia tantum et notiora persecuntur. sin hunc fructum ingeni Varroniani contempserunt qui post eum uixerunt, in multis singulis eum secutos esse posteriores uel exigua uestigia, quae nominatim ad eum referuntur, docent. de grammatica igitur idem, quod de omnibus disciplinis (cf. L. Mercklin philol. IIII p. 427. F. Ritschl quaest. Varr. p. 1 sq. O. Iahn ueb. roem. encyclop. in ber. d. saechs. ges. d. wiss. II 1850 p. 272 sq.) dicendum est, Varronem graecas litteras retractatas correctas amplificatas quantum fieri potuit cum ciuibus suis communicasse, quo facto plurimum in posteriorum temporum studiis eius auctoritas ualuit, ut permulta in medii aeui doctrina ab eo repetenda sint.

Absoluisse Varronem octoginta tres annos natum a. ab u. c. DCCXXI libros disciplinarum Ritschelius l. s. p. 53 cl. L. Roth leben d. Varro p. 31 sq. docuit. hinc autem, ut illius uerbis utar, fieri coniectura potest, quam maturae et tanquam consummatae eruditionis thesauris hi potissimum libri referti fuerint.

IIII

Quam egregiis ac paene singularibus ingeni facultatibus ad tractandas quaestiones historicas cuiusque generis Varro praeditus fuerit quantoque studio et amore se conlocauerit non solum in inuestigandis ac perscrutandis antiquorum romanorum moribus et institutis, uerum etiam in exquirenda et inlustranda litterarum scriptorumque historia demonstrat longa series operum doctissimorum et amplissimorum, quam de his rebus conposuit. non mirum igitur est, quod etiam in rebus grammaticis partem historicam, quam alioquin in deliciis habuit, respexit et pro uirili parte in his quoque studiis, quae hodie demum recte aestimantur, elaborauit. etiamsi uero in ceteris libris grammaticis has quaestiones ubicunque non ab argumento alienae erant magno cum gaudio uel attigit uel accuratius tractauit, duo tamen potissimum opera sunt, quae eis instituendis destinauit, libros dico de antiquitate litterarum et de origine linguae latinae. illis enim de inuentione et propagatione litterarum exposuit, in his primordia et progressus patrii sermonis persecutus est.

Libros de antiquitate litterarum uno nouimus Prisciani testimonio, qui I 3 p. 7 eorum secundum adhibet. quot igitur fuerint nescimus, sed minimum tres fuisse ex more uiri πολυγραφωτάτου conligendum est. eosdem autem hos libros esse atque libros ad Attium, quos bis Pompeius ad Donatum I 7. 17 p. 9. 27 Lind. profert, tam firmis argumentis conprobauit Ritschelius nou. mus. rh. VI p. 530, ut non ueri simile sed certum sit. primum enim talia ex libris

ad Attium Pompeius excribit quae nulli operi melius quam huic si titulum spectas conueniant. deinde ni omnia fallunt ex alio libro omnino sumpta esse nequeunt. quamquam enim e libris de origine linguae latinae similia traduntur, felici casu accidit, ut in unico fragmento (Prisc. I 39 p. 30) ex hoc opere seruato *Attius noster* conmemoretur, quod secundum antiquorum morem fieri non potuit, si illi libri ad eundem missi erant. de his igitur cogitare non licet, reliquis uero omnibus quorum omnino tituli ad nos peruenerunt, non Atti sed aliorum nomina inscripta fuisse constat. in primis hic in censum uenire possent, si argumentum respiceremus, libri de sermone latino et liber de grammatica, in quibus de litteris actum esse certum est; sed illi ad Marcellum scripti erant, grammatica unum tantum librum expleuit, cum Pompeius de *libris ad Attium* loquatur. praeterea autem quam maxime probabile est hunc Attium[1]) tragicum illum clarissinum fuisse, quem in scribendi ratione emendanda elaborauisse (cf. Mar. Vict. I 4, 4 p. 2456 P.) et geminatis uocalibus natura longas syllabas scribere uoluisse (cf. Vel. Long. p. 2220. Ter. Scaur. p. 2255. Ritschl mon. epigr. tria p. 22 sq. prisc. lat. mon. epigr. enarr. p. 52) scimus, cum quibus studiis argumentum nostrorum librorum tam egregie conuenit, ut hoc casu tri-

---

1) Pro Attio ponere uoluerunt D. Ruhnken (post Mallium Theodorum ed. Heusinger p. 64), probante L. Krahnero de Varr. antiq. libr. p. 10, Atticum, ad quem libri de uita populi romani (cf. H. Kettner de M. Ter. Varr. de uita p. r. lib. p. 2 sq.) missi erant, F. Osann (anal. crit. p. 67) Atteium (cf. Suet. de gramm. 10), quos refutauerunt I. G. Schneider de uita et script. Varr. p. 239. O. Mueller ad Varr. p. 264. Ritschl quaest. Varr. p. 25 sq. de Q. Axio (cf. rer. rust. III 2 sq.) cogitare uidetur B. ten Brink M. Ter. Varr. locus de urbe Roma p. 2, idemque proposuit L. Roth leben d. Varro p. 11 n. quibus ne credas cf. Lachmannum ad Lucr. IIII 727 p. 254 de *Actio*, quod legitur in Pompei codice Guelferbytano, et *Attio* disputantem.

buere temerarium esset. non uero dubium est, quin tragico Attio disciplinarum libri propter temporum rationem mitti non potuerint.

Cum uero neque quot fuerint libri sciamus et duo tantum uel tria fragmenta supersint, ordo disputationis uel singulorum librorum argumenta nequeunt indagari, sed acquiescendum est in eis quae Pompeius ibi exposita fuisse testatur, qui non solum obseruationem de numero litterarum inde excripsit, sed breuiter quid omnino Varro ibi docuerit significauit. primum de inuentoribus singularum litterarum Varronem tractasse tradit (fr. 104), de qua re multum quaesitum ab antiquis et in uarias partes discessum esse notum est. quot autem et quam ineptae maximam partem doctorum sententiae fuerint ut ostendam quam breuissime, adponam particulam disputationis e Lucii Tarrhaei libro [1]) *περὶ γραμμάτων* excerptae: *τῶν στοιχείων ὁ Κάδμος εὑρετής ἐστιν, ὥς φησιν Ἔφορος καὶ Ἀριστοτέλης· ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι Φοινίκων εἰσὶν εὑρήματα, Κάδμος δὲ ταῦτα διεπόρθμευσεν εἰς τὴν Ἑλλάδα. Πυθόδωρος δέ φησι· καὶ πρὸ Κάδμου ὁ Δαναὸς ἐκεῖθεν αὐτὰ μετεκόμισεν. ἔνιοι δὲ Μουσαῖον εὑρετὴν λέγουσι τῶν στοιχείων τὸν Μητίονος καὶ Στερόπης, γενόμενον κατὰ τοὺς καιροὺς τοῦ Ὀρφέως. Ἀντικλείδης δὲ τοῖς Αἰγυπτίοις τὴν εὕρεσιν ἀνατίθησιν. Αἰσχύλος δὲ Προμηθέα φησὶν εὑρηκέναι αὐτά. Δωτιάδης* (i. e. *Δωσιάδης*) *δὲ ἐν Κρήτῃ λέγει εὑρεθῆναι αὐτά. Στησίχορος δὲ Παλαμήδην εὑρετὴν αὐτῶν ποιεῖται, ᾧ συμφωνεῖ καὶ Εὐριπίδης. Μνασέας δὲ κατὰ πάντα τόπον εὑρετὰς γεγενῆσθαι τῶν στοιχείων.* prudentiores quidem non dubitabant, quin in Aegypto aut Assyria siue Syria inuentae essent litterae et postea a Cadmo uel Phoenicibus in Graeciam translatae (Herod.

1) Schol. Dion. Thr. p. 786. Lucii Tarrhaei haec esse ostendunt Crameri anecd. Oxon. IIII p. 318 sq. cf. L. Preller Polem. fragm. p. 62. praeterea de litterarum inuentione cf. sch. Dion. Thr. p. 781 sq. 1168 sq. Theodos. p. 1 sq. 10 sq.

V 58. Diodor. III 67. Plin. VII 192 sq. Tacit. annal. XI 14 cf. F. A. Wolf proleg. ad Hom. p. L sq.). ita Varro Chaldaeos primos litterarum esse auctores iudicauit, eo usus argumento, quod earum nomina, quae a singularum figura repetenda essent, ad Chaldaeorum linguam spectarent (fr. 103). has litteras a Phoenicibus cum Graecis communicatas sedecim fuisse tradunt, quibus Palamedes Simonides Epicharmus reliquas addiderint. ualde discrepat inter scriptores quas quisque eorum adiecerit (cf. I. Franz elem. epigr. gr. p. 14 sq.), quod partim ad diuersas sententias pertineat, partim fortasse librariorum culpa est. satis sit conmemorasse, plerumque Palamedi (cf. O. Iahn Palam. p. 25 sq. E. Curtius nou. mus. rh. VII p. 455 sq.) tribui consonantium adspiratarum, Simonidi inuentionem litterarum *Η Ω Ξ Ψ*; sed haec non modo confunduntur et inuertuntur, sed etiam aut alterum aut singulae harum litterarum Epicharmo adscribuntur. quid in hac causa Varro statuerit ex contrariis narrationibus scriptorum latinorum inuestigari non potest, nec magni momenti est, cum in hac re omnes fere antiquos errasse satis constet. in rebus autem historicis parum interest priorum hominum errores exponere, si uerum inuentum est, cum in eis rebus, quae in cogitandi ratione nituntur, etiam errorum historia non solum sapientem uehementer adliciat, sed perquam utilis sit. in Italiam omnes consentiunt (cf. Tac. l. l. Dion. Hal. ant. rom. I 33), Euandrum Arcadem (cf. R. H. Klausen Aeneas u. d. penat. II p. 889 sq.) eiusque matrem Carmentem graecas litteras adtulisse [1]), quod Varroni quoque pla-

---

1) Ioannes Lydus quoque de mens. I 9 Euandrum sedecim litteras in Italiam tulisse scribit, sed qua est inscitia et inconsiderantia Cn. Flauium, quem M. dicit, reliquas addidisse opinatur (cf. Pomp. de orig. iur. Digest. I 2, 2, 7. S. W. Zimmern gesch. d. roem. priuatrechts p. 205 sq.). ingeniose subicit *φιλεῖ γὰρ ὁ χρόνος ἐναμείβειν τὰ πράγματα*, sed uereor ne tantundem stupor Lydorum.

cuisse Pompeius (fr. 104) docet. nam haec quin ex eodem fonte fluxerint atque ea qnae de numero litterarum secuntur noli dubitare, cum ex Liuio quem profert sumta esse non possint.

Praeterea teste Pompeio (p. 9) exposuit Varro *cur tot sint litterae et quare eo ordine positae et cur isdem nominibus uocentur.* antiquitus litteras latinas sedecim fuisse existimauit (fr. 104) totidemque suas antiquissimas Graecos putauisse supra dixi. cum uero nec graecae litterae unquam (cf. Franz l. l. p. 17) nec latinae (cf. Franz l. l. p. 27 sq. Th. Mommsen unterital. dial. p. 33 sq.) sedecim fuerint sed plures, in hac re facta ignorauerunt uel neglexerunt et ficticiam doctrinam protulerunt grammatici. eundem quem Varro statuit litterarum numerum sumpsit Marius Victorinus I 4, 95 p. 2468 ex historicis ipsasque litteras enumerat. quos auctores cum facile conicias idem atque Varronem docuisse adscribam Victorini uerba, quae non leuiter interpolata mutilata corrupta sunt: 'Repertores litterarum ..... Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt a b c d e i k l m n o p q r s t litteras numero XVI. postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIIII [in comoedia scriptum erat ellum, non recte uos fecistis illum, est enim en illum] grammatici *praeterea* Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius Fabius Gellius tradiderunt. ex quibus Cincius paucis, inquit, commutatis ut ad linguam nostram *peruenirent,* eas namque Cadmus in Graeciam, unde ad nos Euander transtulerat'. cum non repertores litterarum sed litteras Cadmus in Graeciam transtulerit, post *litterarum* minimum *Chaldaei,* quod propter similitudinem sequentis uocis facile neglegi potuit, uel *Phoenices erant* nisi plura interciderunt. taceo de additamento uncis incluso, quod a Gaisfordio ut haec omnia bona fide prolatum (cf. M. Hertz de Luciis Cinciis p. 59) medium enuntiatum dissecat. etiam *praeterea* aut eiciendum aut uestigium est historicorum

quorundum grammaticis praemissorum et illa interpolatione submotorum, sicut statim latini historici secuntur. extrema dubito utrum pro Cinci uerbis, a Victorino male excerptis, accipienda an prauo Victorini generi dicendi indulgenda sint, sed non dubito, quin pro *peruenirent* scribendum sit *conuenirent*. ex auctoribus a Victorino prolatis Demetrius et Hermocrates de graecis litteris antiquissimis locuti sunt, latinique (cf. Hertz l. l. p. 82) easdem XVI ab Euandro in Italiam aduectas esse dixerunt, praeter Cincium, qui paucis conmutatis hoc factum esse uoluit. graecas litteras omnes scriptores una mente has fuisse tradunt *α β γ δ ε ι κ λ μ ν ο π ϱ σ τ υ*, easdem igitur pro latinis acceptas fuisse consentaneum est, praeterquam quod pro Y poneretur V, quod primitus idem atque Y esse Verrius Flaccus apud Velium Longum p. 2215 intellexit, easdemque apud Victorinum, ubi congruentia graecarum et latinarum litterarum premitur, propositas esse expectares. sed Y simpliciter reiectum est et numerus XVI addito Q expletur[1]). cum uero Victorinus eo loco, quo eas posuit, de communibus graecorum et latinorum litteris loquatur, itaque hoc contra omnem rationem pugnet, facile contenderes, illam seriem litterarum turbatam esse, quod L omissum et H ab hac re prorsus alienum, inlatum confirmare uideretur, nisi I 4, 20 p. 2458 easdem ac nostro loco enumeratas litteras uideres. itaque fortasse secutus est in hac re Cincium eiusque enumerationem ibi quoque posuit ubi non prorsus apta erat.

Varro autem aliter statuit. cuius libros de antiquitate litterarum cum a Prisciano semel proferantur, et aliud

---

1) Qui hanc rationem secuti sunt Q, quod saepe in antiquorum graecorum scriptura occurrit (cf. Franz l. s. p. 16), antiquitus traditum putauerunt (cf. W. Corssen l. s. p. 15), V contra aliam atque Y litteram, quia alium apud graecos sonum haberet, eamque postea XVI illis adiectam esse duxerunt.

fragmentum quod idem (I 16 p. 13) librorum nostrorum argumento bene aptum habet[1]) ad eosdem referre et quaerere licet, num alia praeterea uestigia eorum apud illum indaganda sint. sine dubio uero huc pertinent, quae I 12 p. 11, 1 leguntur: 'apud antiquissimos graecorum non plus sedecim erant literae, quibus ab illis acceptis latini antiquitatem seruauerunt perpetuam. nam si uerissime uelimus inspicere eas, non plus duas additas in latino inueniemus sermone: Ϝ Aeolicum digamma, quod apud antiquissimos latinorum eandem uim quam apud Aeolis habuit . . . X etiam duplicem loco C et S uel G et S postea a graecis inuentam assumpsimus'. adparet igitur Priscianum eiusque auctorem V eandem litteram atque *Y* accepisse[2]). ceterum discrepantiam antiquarum et recentiorum litterarum non accurate persequitur. antiquis enim C media ut graecis, K tenuis erat, deinde G addito C pro tenui ponebatur, K paullatim neglegebatur, quod Varronem praetermisisse nemo credet, Priscianus praetermisit cum diceret (I 14 p. 12, 5): 'K et Q, quamuis figura et nomine uideantur aliquam habere differentiam, cum C tamen eandem tam in sono uo-

1) Debet quidem hoc testimonium Censorino, sed fortasse alterum quoque (fr. 103) ex eiusdem sumpsit libro grammatico, de quo parum constat cf. O. Iahn praef. Censor. p. VII.

2) Minus patet, quid Caesarem (Pomp. ad Don. I 17 p. 27) mouerit ut undecim tantum litteras adsignaret antiquissimis romanis. fortasse, si tam peruersas opiniones explicare operae pretium est, has admisit: AEIO, nam V alios quoque omisisse uidimus, BCD, quorum singula simul pro tenuibus, uel tenuia pro mediis posita essent, LMNR. restat S, quod nonnulli ut Messala Coruinus (cf. Quint. inst. orat. I 7, 23. Mart. Cap. III 245 p. 55 Gr. Cledon. p. 1882 sq. Prisc. I 42 p. 32, 19) sibilum esse uoluerunt, nisi eos Caesar secutus est, qui Appium Claudium Caecum demum R inuenisse putabant (Pomp. de orig. iur. Digest. I 2, 2, 36). undecim litteras Palamedem inuenisse tradit Hygin. fab. 277, ubi G. I. Vossius Arist. I 10 p. 35 F. sexdecim scribere maluit, cf. O. Iahn Palam. p. 24.

cum quam in metro potestatem continent. et K quidem prorsus superuacua est' e. q. s. quae cum ea quae supra scripsi excipiant, ne intellexit quidem hanc sententiam cum illa de sedecim litteris non conuenire, Varro autem G et Q postea addita esse docuit. quam Prisciani inconstantiam qui considerauerit non dubitabit, quin ipse Varronis libros non legerit sed apud alium quendam scriptorem fortasse Censorinum eos adhibitos inuenerit. confudisse enim uidetur cum illa de antiquissimis litteris aliam Varronis disputationem, quam in fine operis uel alio idoneo loco posuit, de litteris e numero uolgo traditarum re uera necessariis. ad talem enim expositionem alterum Prisciani locum (fr. 115) spectare arbitror, quo Varronem K et Q superuacaneas duxisse, H reiecisse sine dubio tamquam adspirationis notam tradit; praeterea X quoque ut duplicem sicut in grammatica (fr. 95) repudiasse censendus est[1]). in illa uero de antiquis litteris disputatione neque ab antiquissimorum monumentorum scriptura profectus est Varro, ut debuit, cognatarumque litterarum apud reliquas gentes conparatione, neque arbitrariam doctrinam excogitauit, sed simpliciter graecorum scriptorum de graecis litteris sententiam secutus easdem ad latinam scripturam transtulit. scripserunt autem non pauci graeci de hac re, quorum non nullos a Lucio Tarrhaeo conmemorari uidimus. sed primus erat ut uidetur[2]) Aristoteles.

De ordine litterarum multa docte disputari potuerunt

1) Cf. de Nigidio Figulo disserentem Marium Victorinum I 4, 5 p. 2456 P.: Nigidius Figulus in commentariis suis nec K posuit nec Q nec X. idem H non esse litteram sed notam adspirationis tradidit.

2) Cuius libros III *περὶ στοιχείων* Laert. Diog. V 23 profert, cf. Plin. VII 192. schol. Dion. Thr. p. 783. 786. V. Rose Aristot. pseudepigr. p. 472. 534. praeterea occurrunt Pythodorus (cf. supra p. 119), Apion eiusque discipulus Apollonius Archibii, qui idem esse uidetur ac Messenius, *περὶ ἀρχαίων γραμμάτων* (sch. Dion. Thr. p. 484), Diogenes uel Diogenianus et Apollonius Dyscolus (Suid.).

(cf. Th. Mommsen l. l. p. 30 sq. nou. mus. rh. XV p. 463 sq.), sed talia quomodo cum numero litterarum a Varrone posito coniuncta fuerint, non facile est dictu. uereor autem ne similia quoque protulerit eis, quae multo quidem ineptius graeci posterioris temporis habent (cf. Bekkeri anecd. gr. III p. 1171. Theodos. p. 6 sq.). nomina litteris a Chaldaeis singularum formis congruentia data esse scripsit (fr. 103) et sine dubio addidit, haec nomina indeclinabilia esse (cf. de l. l. VIII 64 p. 439), de qua re et Priscianus eodem loco nonnulla dicit, et graecos diligenter quaesiuisse ostendit Lucius Tarrhaeus l. s. p. 319 cf. schol. Dion. Thr. p. 781.

Valde dolendum est quod non plura ex his libris seruata sunt, nam etiam in Prisciani libro primo praeter ea quae supra significaui uix aliquid inde ductum est. quam ob rem admodum inpeditum est iudicium de ratione quae inter eos et posteriorum grammaticorum libros intercedat. ante alios hic in censum ueniunt scriptores de orthographia, quorum Velius Longus p. 2215 haec scribit: 'Verrio Flacco uidetur, eandem esse apud nos V litteram quae apud Graecos *Y* . . . graecorum uero qui de antiquis literis scripserunt commentaria, ii item latinorum qui illos secuti sunt, eadem litera ueteres solitos scribere ostendunt *μακρὸς μακροῦ μακρῷ* et confusas fuisse *O* et *Ω*'. latinorum uero qui *de antiquis litteris* scripserunt neminem nouimus praeter Varronem, quamquam multi in libris aliter inscriptis de eadem re egerunt[1]). non inprobabiliter igitur libros nostros a Velio adhibitos esse conligeremus et cum Varronis si certas spectamus litteras de H Q K tantum supersit doctrina, quid de his Longus docuerit quaerendum est. de

1) Simile argumentum Terentius Scaurus tractauit in libro *de nouis litteris*, quem ipse conmemorat p. 2264, cui larga materia praesto erat inde ab Appio Claudio et Sp. Caruilio usque ad Ti. Claudi Caesaris litteras.

H littera eum Varronis sententiam inprobasse supra (p. 93 sq.) uidimus, de K p. 2218 cum eo consentit, Q litteram ex C et V conpositam esse putat. quae uereor ut satis firma sint quibus alia superstruas, nam de his litteris non agere non potuit, qui de recte scribendi ratione scripsit et omnes fere grammatici hanc rem attigerunt (cf. Donat. I 2. 3 p. 1736. Max. Vict. p. 277 L. p. 1945 P. al. cf. adnotationem ad fr. 105). praeterea Longi disputatio ad plures auctores spectat, inter quos num Varro fuerit dubium et eo incertius est, quia certa testimonia Varronis quae profert e libris de sermone latino hausit. similia de Mario Victorino ualent qui in capite de orthographia permulta habet quae apprime apte huc quadrant.

L. Attium poetam probabiliter statuunt fere anno u. DCLXX mortuum esse (cf. Ritschl mon. epigr. tria p. 30. G. Bernhardy roem. litt. p. 391) ideoque ante hunc annum Varronem hos libros scripsisse necesse est, quod etiam a ueri similitudine non abhorret. natus enim erat anno u. DCXXXVIII, triginta igitur annos egressus uel hac fere aetate opus nostrum conposuit (cf. Ritschl n. m. rh. VI p. 557).

Transeo ad libros d e o r i g i n e l i n g u a e l a t i n a e, quos tres fuisse Hieronymi indice scimus. antea de libro primo tantum semel a Prisciano I 39 p. 30 conmemorato constabat, quem primum esse de lingua latina uoluerunt (cf. L. Spengel ed. Varr. p. 7. 592. O. Mueller ed. Varr. p. 264. cf. paed. phil. litt. bl. d. allg. schulzeitg. 1827 II p. 4), quam coniecturam per se parum probabilem (cf. G. Pape lect. Varr. p. 41. ztschr. f. alterth. 1834 p. 215 sq.) Hieronymi testimonium explosit. fragmento uerum a Prisciano seruato (fr. 107) in hoc quoque opere de litterarum quarundum scriptura et pronuntiatione actum fuisse docemur. teste enim M. Terentio Ion, quem Chium esse probabiliter suspicatus est F. W. Schneidewin n. mus. rh. VII p. 463 (cf. B. ten Brink Varr. locus de urb. Roma p. 2.

C. Mueller hist. gr. fr. II p. 44 sq.), uoluit sonum illum peculiarem, quem Γ ante Γ K K haberet, *ἄγγμα*[1]) nuncupari et hanc litteram, etiamsi nota eius non in promptu esset, uigesimam quintam esse. addidit Varro eundem sonum eisdem locis in uocabulis latinis audiri ideoque Attium[2]) talia uerba duplici G scripsisse. uerba tradita sunt haec: *in eiusmodi graeci et Attius noster bina G scribunt, alii N et G, quod in hoc ueritatem uidere facile non est.* additis uerbis '*quod .... non est*' non id agit Varro, utra sententia uera sit, utra falsa; nam deinceps relicuam Attianae sententiae partem memoratus est: *similiter agceps agcora,* quibus quo conpleretur dictio haec fere adiecisse scriptor uidetur *per GC Attius, illi per NC.* itaque non illam Varro dicit ueritatem quae grammatici iudicio conprobatur, sed eam quae in ipso loquentium sermone est et auditur; ab hoc autem sermonis sono dissociat signum soni quod in litteris cernitur: prorsus simili ratione atque artis rhetoricae scriptores ueritatem actioni forensi tribuunt, procul habent ab umbratica declamatione exercitationis causa instituta; cuius rei exempla suppeditabunt Ernestius lexic. technol. latin.

---

1) *Ἄγγμα* e coniectura ten Brinki l. s. scripsi cum nomen litterae sono illi accommodatum fuisse consentaneum sit.

2) Verba Victorini (I 4, 4 p. 2456 P.) *Attius cum scriberet anguis angulus* (*anguies angules* cod. Paris. 7539 Gaisfordi et cod. Valentinianus cf. Ritschl l. s. p. 23) *imponebat* referenda sunt ad ea quae praecedunt *consonantes litteras non geminabant, . . . sed supra litteram quam geminari oportebat scilicet sicilicum imponebant . . ., sicut apparet in multis adhuc ueteribus ita scriptis libris. iidem uoces, quae pressiore sono educuntur ausus causa fusus odiosus per duo S scribebant aussus (caussa fussus odiossus). iuxta autem non ponebant CM, deinde nec Alcmenam dicebant nec Tecmesam* e. q. s. in quibus quaedam de scribendo nomine *Tecmesa* cum duobus S excidisse puto, a quibus ad formas *Tecumesa* et *Tecmesa* declinarit Victorinus, quem quidem satis neglegenter scripsisse uel hic locus docet. de sicilico cf. Ritschl. prisc. lat. mon. epigr. enarr. p. 81.

p. 417 et Ellendtius ad Ciceron. de orat. II 23, 94 uol. II p. 217 sq. quam ob causam dubitari nequit quin Marius Victorinus I 4, 71 eandem Varronis sententiam siue expresserit siue interpretatus sit, cum 'anceps' et similia uerba per NC non GC scribi ideo iubet '*quoniam . . . familiarior est auribus nostris N potius quam G*'. rectissime igitur Ritschelius mon. epigr. tr. p. 24 sic locum scripsit: *quod in hoc ueritatem facile uidere est, in illo non est.* ex illa uero conparatione graeci sermonis et latini, facile est intellectu in hoc libro non numerum et historiam litterarum, ut in libris de quibus modo dixi, persecutum esse scriptorem, sed quid antiquitus utrique linguae commune fuerit inuestigasse, quod quanti momenti sit ad origines linguae latinae indagandas manifestum est.

Cum hoc argumento optime conueniunt, quae Ioannes Lydus [1]) de magistr. I 5 profert, Romulum eiusque aequales bene calluisse sermonem graecum, nempe aeolicum, quem Euander Arcas (cf. de l. l. V 21 p. 31) in Italia peruolgasset. tradidisse haec Varronem τὸν πολυμαθέστατον dicit ἐν προοιμίοις τῶν πρὸς Πομπήιον αὐτῷ γεγραμμένων. unde sequi uidetur libros nostros Pompeio [2]) missos fuisse.

1) Lydum hunc locum scholiis Vergilianis debere iudicauit I. F. Schultze quaest. Lyd. I p. 17. 43, quod, quamuis ipsum Diogeniani Varronis Catonis libros, quos omnes eodem loco laudat, legisse minime credam, certum non est. Seruius quidem ad Aen. I 292 *Quirinum* a κοιράνῳ, eundem Lydus a κυρίῳ ducit, et scholia ad eum uersum fortasse quondam pleniora erant Lydumque praeterea permulta simulasse et sine ulla religione fontibus suis usum esse (cf. Schultze l. l. p. 47 sq.) scimus; sed his omnibus concessis parum similes Lydi Seruique expositiones sunt, quam ut illud inde efficias.

2) Spengelius ed. Varr. p. 7 librum primum de lingua latina, de origine linguae latinae, *ad Pompeium* missum fuisse uoluit, L. Krahner l. s. p. 20, ut quam plurima confunderet, librum illum primum a Prisciano de origine l. l., in Pompei conmento *ad Atticum*, a Lydo πρὸς Πομπώνιον, quod pro πρὸς Πομπήιον scribit, uocari opinatur.

multis quidem libris Varro Pompei nomen inscribere pariterque in multorum operum praefatione de cognatione aeolicae linguae et latinae loqui potuit, sed haec singularis argumentorum congruentia, praeeunte Ritschelio n. mus. rh. VI p. 531 sq., me mouet ut ad eosdem libros utrumque testimonium referam, donec constat de opere quodam ad Pompeium misso, cui tale prooemium aptum est. hodie autem praeter isagogicum ex quo disceret Pompeius consul, *quid facere dicereque deberet cum senatum consuleret* (Gell. XIIII 7, 2) et ephemeridem naualem (itiner. Alexandri 6 ed. pr. Mai. 3. p. 5 class. auct. uol. VII), de quibus in hac re nemo cogitabit, ad Pompeium librum aliquem scriptum esse nescimus. egregie uero illa (fr. 106) habent locum suum (cf. Spengel l. s. p. 7) in prooemio librorum de origine linguae latinae, ubi igitur Euandrum eum esse dixit, a quo linguae aeolicae et latinae similitudo repetenda sit. cum aeolico sermone latinum saepius contulerunt uolgaremque de hac re sententiam profert Quintilianus (inst. or. I 6, 31): ‘continet (etymologia) in se multam eruditionem, siue ex graecis orta tractemus, quae sunt plurima praecipueque *aeolica* ratione, cui est sermo noster simillimus, declinata, siue’ e. q. s. etiam I 5, 55 latini et graeci sermonis similitudinem premit: ‘uerba aut latina aut peregrina sunt. peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus ut instituta etiam multa uenerunt. taceo de *tuscis* et *sabinis* et *praenestinis* quoque . . . plurima *gallica* ualuerunt . . . sed haec diuisio mea ad *graecum* sermonem praecipue pertinet, nam et maxima ex parte romanus inde conuersus est, et confessis quoque graecis utimur uerbis, ubi nostra desunt’, cf. Varr. de l. l. V 10 p. 22. X 69 p. 582 sq.

Ita uia munita aliud quoque Lydi testimonium his libris tribuendum est. scribit enim in eodem opere II 13 haec: *τὴν δὲ ὅλην κατασκευὴν τοῦ περιζώματος οἱ Γάλλοι καρταμέραν (λέγουσιν), ἣν τὸ πλῆθος καρτάλαμον ἐξ ἰδιωτείας ὀνομάζει. ὅτι δὲ οὐ Ῥωμαικὸν τουτὶ τὸ ῥημάτιον, μάρτυς ὁ*

Ῥωμαῖος Βάρρων ἐν βιβλίῳ πέμπτῳ περὶ Ῥωμαικῆς διαλέκτου, ἐν ᾧ διαρθροῦται ποία μέν τις λέξις ἐστὶν Αἰολική, ποία δὲ Γαλλική, καὶ ὅτι ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων, ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή. unus quisque uidet hanc rem, uestigia dico aliarum linguarum in latino sermone indaganda, quam maxime ad hos libros aptam esse. in qua re nullius momenti est, quod Lydus titulum non accuratius indicat, cum ipse hos libros haudquaquam legerit et insolita neglegentia stupiditate uanitate praeditus fuerit [1]). grauius fortasse est quod quintus liber in opus nostrum non quadrat, sed non dubito quin in hac quoque re Lydus peccauerit. quinque enim libros uel plures, ut libros de antiquitate litterarum mittam, non nisi opera de lingua latina et de sermone latino conplectebantur. ad eum librum de sermone latino haec, si ueri similia sequimur, spectare nullo modo possunt. ad quintum de lingua latina relata sunt ab I. D. Fussio, primo librorum Lydianorum editore (de magistr. p. 118), cui adsenserunt L. Spengel ed. Varr. p. 5. 121 et R. Merkel praef. Ouid. fast. p. CVI. generalia autem, quae Lydus profert, minime huic libro accommodata esse, perspexit O. Mueller ad de l. l. V 116. nihilo magis in hoc libro locum habet uox *καρταμέρα*, quam V 116 p. 121 excidisse putabant. leguntur ibi in codice Florentino haec: *lorica quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant. postea subcidit galli e ferro sub id uocabulum ex anulis ferream tunicam,* ubi siue cum O. Muellero *ex anulis ferrea tunica* siue cum Lachmanno (ad Lucr. VI 954 p. 404) *ex anulis fere iam tunica*

1) De Lydi indole fide linguae latinae peritia optime disputauit I. F. Schultze l. s. p. 6 sq. cf. praeterea E. Dirksen verm. schr. I p. 62 sq. C. Wachsmuth proleg. Lydi de ostentis p. XVIII. XXXVI. ipse de se uerissime iudicauit de magistr. I 23: *καὶ πολλὰ ἄν τις τοιαῦτα συνάγοι κατὰ σχολήν, εἰ τυχὸν αὐτόν, οὐκ ἔχοντα ὅ τι πράττοι, ἀφρόντιδα συμβαίνει διαβιοῦν, καὶ τοιούτοις ὁποίοις ἐγώ, καίπερ μυρίαις συμπεπλεγμένος φροντίσιν, ἐναγρυπνῶ μωραίνων ἀθύρμασιν.*

scribis, de re non de gallico nomine agi concedendum est. nam loricam romanam antiquitus e loris factam indeque nominatam fuisse dicit, postea idem nomen in ferream e Gallia translatam transiisse. ex eo autem quod apud Varronem baltei explicatio sequitur, apud Lydum praemittitur, noli efficere Lydum eo loco usum esse, nam magna uerbositate de uestimentis magistri equitum locutus singula percensere debuit, Varroni autem nihil adscribit nisi καρταμέραν (cf. L. Diefenbach orig. europ. p. 285 sq.) et illa generalia, quorum omnium in libro de lingua latina quinto nec uola nec uestigium. quare ad libros nostros (fr. 108) ea refero contentus, quod non solum in titulo et numero Lydus peccauit, sed etiam inpudenter res a Varrone expositas auxit. nam neque ille docuit e linguis gallica aeolica etrusca inter se mixtis latinam linguam ortam esse, id quod quaeuis pagina librorum de lingua latina ostendit, sed nonnulla ex eis sumpta esse existimauit, quae sine dubio accuratius pertractauit, neque facile dixeris quae discrepantia inter Tuscos et Etruscos intercedat (cf. O. Mueller Etrusk. I p. 100. C. Wachsmuth l. s. p. XXXI). parui sane tale testimonium aestimandum est, sed etiamsi omnia finxit Lydus, haec in libris nostris exposita fuisse reliqua testimonia probant.

Praeterea de eis nihil constat: neque quo tempore scripti sint dici potest. nam cum Pompeio (cf. L. Roth leben d. Varr. p. 11 sq.) per triginta annos, inde ab a. u. DCLXXVIII usque ad cladem Pharsalicam, coniunctus erat, sed artiores fines nullum indicium prodit.

Non mediocris relliquiarum copia ex Apulei libellis de nota aspirationis et de diphthongis (cf. I. N. Madvig opusc. acad. p. 3) accedere uidebatur, qui de nota asp. p. 107 Osann. Varronem *in libro de origine l. l.* et de diphth. p. 125 eundem *in libris de origine l. l.* adfert. accuratius tamen inquirenti non dubium est, quin sic libros de lingua latina V—VII significauerit (cf. Spengel. ap. Ritschelium

l. s. p. 531. Th. Mommsen unterital. dial. p. 358 n.), siue ita argumentum librorum de origine uerborum indicare uoluit, siue codex quo usus est hunc titulum habuit. in Florentino quidem codice libris V—VII inscribitur *de lingua latina de disciplina originum uerborum*, in Gothano (cf. Iacobs u. Vkert beitr. z. alt. litt. I p. 270) *de uerborum origine*[1]), aliis uero *de origine linguae latinae* inscriptum fuisse ostendit catalogus bibliothecae coenobii Fesulani (cf. F. Blume iter ital. II p. 31. 47), quem Montfaucon diar. ital. p. 393. bibl. biblioth. I p. 418 edidit. hunc enim nemo de ueris libris de origine l. l. accipiet, quos uix Priscianus legit. interdum uero neglegenter uel cum suis additamentis Varronis uerba posuit Apuleius, quare breuiter testimonia percurram[2]). ex uno autem loco ipse Varro corrigendus esse uidetur, nam cum Apulei uerbis (de not. asp. p. 107) *M. Varro in libro de origine latinae linguae ab hordeo horreum deriuatum aspirat, hordeum uero ab horrore tractum dicitur* (*dicit?* Osann) si contuleris locum de l. l. V 106 p. 109 *hordeum ab horrido* ibi aliquid excidisse putabis et scribendum esse *horreum ab hordeo, hordeum ab horrido,* quod confirmat Augustinus de dial. VI p. 11, 5 Crec., quem e Varrone hausisse uidimus: *aut per id quod continetur (dictum), ut si quis horreum mutata littera adfirmet ab hordeo nominatum.* quae leguntur de not. asp. p. 94. p. 107. de diphth. p. 125 sumpta sunt e libro V 97 p. 99, inepte adiectis p. 94 *trahere,* p. 125 *uehere,* cf.

---

1) Ex re etiam titulus libri septimi in scholio quodam Plautino apud Ritschelium d. alex. bibl. p. 5 ***M. Varro in libro de uerbis poeticis*** sumptus est.

2) Locos qui cum Varronis uerbis congruunt hic conposui. de diphth. 9 p. 129 cf. de l. l. VII 23 p. 308. Isid. XIII 12, 1. 14, 2. XX 3, 1. p. 132 cf. VII 96 p. 372. p. 135 cf. V 20 p. 29. p. 138. 139 cf. VI 50 p. 226. Isid. I 26, 14. X 155. p. 141 cf. V 178 p. 178. p. 141 cf. V 40 p. 40. p. 142 cf. VI 79 p. 255. p. 143 cf. VI 11 p. 193. locum p. 145 e pluribus locis Varronianis conglutinauit V 173 p. 173. VI 11 p. 193 deque suo addidit ***saenus a sex.***

Mommsen l. s. p. 358. de diphth. p. 127: *ae ante d reperitur in aedes quod ab edendo secundum Varronem deriuatum est* conlatis de l. l. V 160 p. 160 *aedes ab aditu quod plano pede adibant* scribendum est *ab adeundo*[3]). p. 129 scribit *aes aeris quod Marcus Varro ab asse, alii ab auri similitudine dictum putant*, contra Varro V 169 p. 169 *as ab aere.*

---

1) Quod non reiciendum est, quia apud Apuleium haec secuntur: *et e quam in diphthongo habet a principali traxit. sed male uidetur dicere quod a principali traxit e, cum edo breuietur in prima syllaba.* pro priore *e* habet codex Gudianus *ae* et scribendum est *a*, in omnibus enim his etymologiis exponitur unde *a* in diphthongo *ae* oriatur. quae uero secuntur *sed male* e. q. s. quidam adscripsit uerbis iam deprauatis.

V

A certis uel probabilibus uenio ad dubia et obscura. duo enim restant opera, de quibus cum praeter titulum nihil fere traditum sit uix habeo quod dicam.

Libri de similitudine uerborum III in Hieronymi indice exstant et semel a Charisio p. 91 conmemorantur. similitudo quid sit et quid de ea Varro iudicauerit ut quam breuissime ostendam duos adponam locos e libris de lingua latina. X 3 p. 545: 'de similitudine et dissimilitudine ideo primum dicendum, quod ea res est fundamentum omnium declinationum ac continet rationem uerborum. simile est quod res plerasque uidetur habere easdem quas illud cuius est simile. dissimile est, quod uidetur esse contrarium huius. minimum ex duobus constat omne simile, item dissimile, quod nihil potest esse simile, quin alicuius sit simile, item nihil dicitur dissimile quin addatur cuius sit dissimile'. VIII 23 p. 407: 'cum utrumque nonnunquam accidat, ut et in uoluntaria declinatione animaduertatur natura et in naturali uoluntas (quae cuius modi sint aperietur infra[1]), quod utraque declinatione alia fiunt similia alia dissimilia, de eo graeci latinique libros fecerunt multos, partim cum alii putarent in loquendo ea uerba sequi oportere, quae a similibus similiter essent declinata quas appellarunt ἀναλογίας, alii cum id neglegendum putarent ac potius sequendam dissimilitudinem quae in consuetudine est quam uocant ἀνωμαλίαν, cum ut

1) cf. X 51 p. 574: uoluntatem dico impositionem uocabulorum, naturam declinationem uocabulorum, quo decurritur sine doctrina.

ego arbitror utrumque sit nobis sequendum, quod in declinatione uoluntaria sit anomalia, in naturali magis analogia'. de eadem igitur re[1]) hos libros conscripsit. num uero eis quasi praeparauerit libros de lingua latina an fortasse quod illic docuerat contra aduersarios, qui eum inpugnauerant, defenderit perspici non potest. e libro secundo (fr. 109) picem[2]) singulariter tantum dici legimus, quod olim Spengelius ed. Varr. p. 594 ad librum de lingua latina nonum, quamuis ibi non occurrat, referre uoluit (cf. O. Mueller ed. Varr. p. 264. Ritschl l. s. p. 528). pertinet autem hoc praeceptum ad ea quae de l. l. VIIII 37

---

1) G. Boissier étude sur la uie et les ouvr. de M. T. Varron p. 130 errat cum scribit *le de similitudine uerborum, qui était sans doute quelque traité sur les synonymes.* ne uero mirere quod hunc librum nusquam conmemoraui, in illo crasso uolumine nihil noui inesse scito, quod homini germano aut accipere liceat aut refutare lubeat.

2) E Charisi uerbis *pix singulariter dicitur ut ait Varro de similitudine uerborum II, quamuis Vergilius (geo. III 450) dixerit; Idaeasque pices et pingues unguine ceras* effecit grammaticus incertus de generibus nominum a Mauritio Haupt post Ouidi Halieutica p. 74 sq., deinde plenior a F. G. Ottone Gissae 1850 editus haec (p. 93 H. p 49 O.): *pix gen. fem. ut Varro: Idaeasque pices.* idem p. 92 H. p. 48 O. et p. 104 H. p. 59 O. Ouidi, p. 45 H. p. 50 O. et p. 98 H. p. 53 O. Lucili, p. 101 H. p. 56 O. Vergili uerba pro Varronianis uendidit. talis homo nullam habet fidem et neglexi quae apud eum leguntur. ne autem prorsus desint hic adscribam duo uel tria testimonia, quae ad Varronis libros grammaticos fortasse pertinere possent. 50 p. 28 O.: *calcem hominis aut iumenti fem. gen. dicendum ut Virgilius* (Aen. XI 714): *ferrata calce fatigat. calx uero aedificiorum fem. gen. cuius nom. calcs per s non per x ut Varro: calcs circum fura quam,* quae misere quidem corrupta sunt, praeterea autem Varronis mentem non adsecutus est scriptor (cf. de *x* littera supra p. 124). 63 p. 31 O.: *compago gen. fem., ut Varro: haec compages.* 312 p. 99 H. p. 53 O.: *stiria dicuntur ab stillis quia Virgilius genere fem., Varro neutro dixerit. sed uicit Virgilii auctoritas,* cf. Seru. in Verg. geo. III 366. gloss. ant. ap. A. Mai. class. auct. VII p. 581.

p. 482. X 83 p. 590 exponuntur, quod enim natura non subest deest multitudinis casus.

Contrariam partem eiusdem quaestionis Varro tractauit in libris de utilitate sermonis, quorum notitiam ad nos pertulit Charisius p. 123, 3, qui Plinio auctore unum uerbum (fr. 110 cf. supra p. 34) ex libro quarto seruauit. utilitatem similitudini opponit Varro de l. l. VIIII 48 p. 490: 'cum, inquiunt, utilitatis causa introducta sit oratio, sequendum non quae habebit similitudinem sed quae utilitatem. ego quidem utilitatis causa orationem factam concedo, sed ut uestimentum, quare, ut hic similitudines sequemur, ut uirilis tunica sit uirili similis, item toga togae, sic mulierum stola ut sit stolae proportione et pallium pallio simile, sic cum sint nomina utilitatis causa, tamen uirilia inter se similia, item muliebria inter se sequi debemus', quibuscum confer quae VIII 26 p. 410 sq. in contrariam partem disputata sunt. ueram Varronis sententiam de hac re et prior locus et quae supra ex libro octauo adscripsi et totus liber decimus ostendit. persuasum ei erat, in declinationibus analogiam, quam quid esse uoluit nunc non persequor, regere, praeterquam quod aliquid perspicuitati et similium uocabulorum distinctioni concedendum esse censuit. idemque hic quoque docuisse uidetur. in libris enim de lingua latina, ubi omnia conplectitur, quae contra analogiam et pro ea dicenda sint, utramque partem quam firmissime defendere non solum licebat, sed necesse erat; postremo autem suum pronuntiauit iudicium idque conprobauit ualidissimis argumentis, quo facto neque ipse incertus inter utrumque fluctuari uidebatur, et lectores quid de his rebus existimandum sit discebant. nimium uero Varroni tribuimus, si eum in illo opere alterum, alterum in hoc defendisse in morem sophistarum putamus, sed eandem sententiam ubique tueri debuit, nisi forte pluribus praeterlapsis annis antea se errauisse intellexit, quod cum posterioribus demum uitae annis his quaestionibus studuisse ui-

deatur, et certos auctores tamquam duces in plerisque sibi sumpserit, non ita ueri est simile. nihilo minus in prioribus libris formas declinationesque quatenus analogiae aut respondeant aut repugnent considerasse, in his contrariam uiam persecutus esse uidetur, si titulos spectamus. in utroque igitur opere unam earum quaestionum, quas in libris de lingua latina generaliter exposuit, accuratius tractauit, qua ex re quanti momenti et Varroni et aequalibus eius hae res fuerint intellegitur.

Superest ut uno uerbo tangam perpaucas relliquias, quarum sedem indagare non contigit. ablatiuum Varro teste Diomede (fr. 111) casum sextum uel latinum adpellauit. curculionem pro gurgulione per ἀντίστοιχον uel antithesin (cf. Char. p. 279, 16. Diom. p. 442, 28) dictum esse (fr. 112) uoluit.

Hac sunt relliquiae quas probabiliter libris grammaticis tribui posse arbitror. nemo enim hic talia expectabit, qualia Gellius habet (IIII 16, 1. cf. Don. in Ter. heaut. II 3, 46) Varronem genetiuos *senatuis fluctuis domuis* similia uel (V 21, 6) formas *pluria* et *conpluria* probasse. sciens etiam ut Isidori ita omnes neglexi reliquas etymologias, quas huc pertinere non certo constabat, qualia sunt ut paucis exemplis defungar: *ualuae sunt, quae reuoluuntur et se uelant* (Seru. in Aen. I 449), *amoena quasi amunia hoc est sine fructu* (Seru. Aen. VI 638. cf. thes. nou. lat. in Mai class. auct. VIII p. 5) *freni a frendere dicti* (Seru. Aen. VIII 230), *hilum Varro ait significare medullam eius ferulae quam graeci ἀσφόδελον uocant, et sic dici apud nos nihilum, quomodo apud graecos οὐδὲ γρῦ* (Isid. orig. X 1, 85. XVII 9, 95). prorsus praeterea contempsi testimonia ficticia et aut neglegentia aut stupore deprauata, quorum quaedam protulisse exempla satis sit. ut uix crederes apud Nonium u. protinus p. 376 haec *uel protinam uel protinus continuationem uel praeteritae uel futurae longitudinis* eadem esse ac *proti-*

nam a protinus continuitatem significans nisi ipse adscripsisset librum de l. l. VII (107 p. 385), ita diu quaesiui, unde haec explicatio esset scholiastae qui dicitur Cruquiani ad Horat. epist. I 2, 28 *Varro nebulones uocat obscuro loco natos,* donec in hunc Columellae locum (VIII 16, 4) incidi: *itaque Terentius Varro nullus est inquit hoc seculo nebulo ac rhinton, qui non iam ducat nihil sua interesse, utrum eiusmodi piscibus an ranis frequens habet uinarium,* quae excripta sunt, si tale quid excribere dicere fas est, ex Varronis rer. rust. III 3, 9: *quis contra nunc rhinton non dicit, sua nihil interesse, utrum iis piscibus stagnum habeat plenum an ranis?* primae in hac re deferendae sunt Pomponio Sabino et Cynthio Cenetensi in conmentariis Vergilianis, quos primo obtutu singularibus fontibus usos esse putares, deinde neglegentiae has copias deberi intellegis. Varro scribit de l. l. V 72 p. 77: *Neptunus, quod mare terras obnubit ut nubes caelum, a nuptu id est opertione, ut antiqui, a quo nuptiae, nuptus dictus. Salacia Neptuni a salo.* inde effecit Pomponius ad Verg. Aen. I 125 p. 236 ed. Bas.: *Varro ait Neptunus dicitur a neptu id est optione, quod ut coelum nubes, ita mare terras obnubuit. declinatur neptus tus tui. eius sacrificia dicuntur salatia a salo.* e Varronis (V 73 p. 78) *uirtus ut uiri uis a uirilitate* primum fecit Cynthius (ad Aen. V 344 p. 112) *uirtus a uiriditate,* deinde *uirgo dicitur a uiriditate* (ad Aen. VI 45 p. 128 cf. VII 72 p. 162). Pomponius (ad Geo. I 166 p. 78 ed. Bas.) habet: *mystica dicuntur a mysterio, ut inquit Varro,* ad eundem uersum Seruius: *uannus: legimus tamen et uallus secundum Varronem* (de l. l. V 138 p. 141. rer. rust. I 23, 5. 52, 9), *quod idem nihilo minus significat. mystica autem Iacchi ideo ait (Vergilius), quod Liberi patris sacra ad purgationem animae pertinebant, et sic homines eius mysteriis purgabantur, sicut uannis frumenta purgantur,* quem quam egregie interpretatus sit Pomponius uides. sed nolo coaceruare plura eiusdem generis.

M. TERENTI VARRONIS

LIBRORVM GRAMMATICORVM

PRAETER LIBROS V—X DE LINGVA LATINA

RELLIQVIAE

In adferendis grammaticorum latinorum testimoniis Keili et Hertzi usurpaui notas.

DE LINGVA LATINA LIBRI XXV

I

1* Verbum est uniuscuiusque rei signum quod ab audiente possit intellegi a loquente prolatum. res est quic-

TESTIMONIA 1* Augustin. de dial. V. ed. congr. S. Mauri uol. XVI p. 39 sq. ed. Creceli p. 7: Verbum est ... litteris potest.

ADNOTATIO CRITICA *Augustini libelli de dialectica tres habui codices. Bernenses duos meum in usum contulit accuratissime H. Vsener meus: B = codex Bernensis 363, de quo Vsener haec scribit: 'Bongarsi nomen primo secundo ultimo folio inscriptum est, qui unde codicem nactus sit non magis liquet quam unde sua hauserit F. Ritterus Hor. I praef. p. XXXII. codex est quadratus. schedis constat membranaceis CLXXXXVII. conpositus est uno quinione qui primo loco collocatus est et XXIIII quaternionibus; sed excisae sunt quaternionis XI duae schedae, quat. XXII una, quat. XXV duae. scriptus esse uidetur saeculo aeui n. VIII exeunte uel ineunte VIIII litteris saxonicis. uersuum numerus in alia scheda alius, nam litterarum uersuumque species minime aequabilis. cum in Seruio paginae uersus continuos exhibeant, in Fortunatiano (cf. C. Halm praef. rhet. lat. min. p. VIII) eisque quae hunc secuntur bipertitae, in Horatio nonnumquam tripertitae uel adeo quadripertitae sunt'. folio* 153[u.] *leguntur:* C̄ · CHIRII (consulis) FOR|TUNATIANI · ARTIS RHE|TORICE lib · III · expl. IN|CIPIT · AURELII · AU|GUSTINI · de dialectica *C = cod. Bern. 548 saeculi decimi, litteris scriptus quae perquam similes longobardicis sunt, non raro euanidis; tituli* INCIPIT TRACTATUS SCI AGI INDIALECTICA *extremae litterae legi uix possunt, sed manifesta est subscriptio* EXPLICIT FELICITE TRAC|TATUS BEATI AUGUSTINI IN DIALECTICA *P = cod. Paris. lat. 7730 saeculi undecimi, quem Carolus Morel in usum meum contulit. D = cod. Darmstadiensis 166 cuius scripturas e W. Creceli editione opusculi Augustiniani Elberfeldae 1857 typis uolgata sumpsi. 'in D liber tribuitur C. Chirio Fortunatiano et inscribitur* de dialectica liber': *Crecelius.* 1 rei *om. BDP* || 2 quidquid *DP* ||

quid uel sentitur uel intellegitur uel latet. signum est quod et se ipsum sensui et praeter se aliquid animo ostendit. loqui est articulata uoce signum dare. articulatam autem dico quae comprehendi litteris potest. | omne uerbum sonat. cum enim est in scripto non uerbum sed uerbi signum est. | sed quod sonat nihil ad dialecticam. de sono enim uerbi agitur, cum quaeritur uel animaduertitur qualiter uocalium uel dispositione leniatur uel concursione dehiscat, item consonantium uel interpositione nodetur uel congestione asperetur et quot uel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solarum aurium tractantur negotia. et tamen cum de his disputatur praeter dialecticam non est. haec enim scientia disputandi est. sed

haec omnia quae definita sunt, utrum recte definita sint et utrum hactenus uerba definitionis aliis definitionibus persequenda fuerint, ille indicabit locus, quo definiendi disciplina tractatur. nunc quod instat accipe intentus. omne uerbum ... signum est. quippe inspectis a legente litteris occurrit animo quid uoce prorumpat. quid enim aliud litterae scriptae quam se ipsas oculis, praeter se uoces animo ostendunt? et paulo ante diximus signum esse quod se ipsum sensui et praeter se aliquid animo ostendit. quae legimus igitur non uerba sunt sed signa uerborum. sed ut, ipsa littera cum sit pars minima uocis articulatae, abutimur tamen hoc uocabulo, [et] ut appellemus litteram etiam cum scriptam uidemus, quamuis omnino tacita sit neque ulla pars uocis sed signum partis uocis appareat, ita etiam uerbum appellatur cum scriptum est, quamuis uerbi signum id est signum significantis uocis non *uox* (uox *add. Vsener*) eluceat. ergo ut coeperam dicere omne uerbum sonat. sed quod ... restat significat. sed exemplis haec inlustranda esse perspicio. fac igitur a quoquam grammatico puerum interrogatum hoc modo: arma quae pars orationis est? quod dictum est arma propter se dictum est id est uerbum propter ipsum uerbum. cetera uero, quod ait, quae pars orationis, non propter se, sed propter uerbum, quod arma dictum est, uel animo sensa uel uoce prolata sunt. sed cum animo sensa sunt, ante uocem dicibilia erunt, cum autem propter id quod dixi proruperunt in uocem, dictiones factae sunt. ipsum uero arma, quod hic uerbum est, cum a Vergilio

1 uel sentitur *suprascr.* uel *B* || 7 qualiter *coni. Vsener pro* quanta || 8 disputatione *BD* || 9 congestione asperetur] congestione nodetur et congestione asperetur *B* || 10 quot *C* quot *suprascr.* uel quod *B* quod *corr. in* quot *P* quod *D* || 11 rithmus *BC* || 12 tractatur *P* tractetur *C* || negotiă *P* || 13 enim *inter lineas add. C* ||

cum uerba sint rerum, quando de ipsis obtinent, uerborum autem illa quibus de his disputatur (nam cum de uerbis loqui nisi uerbis nequeamus, et cum loquimur non nisi de aliquibus rebus loquimur), occurrit animo ita esse uerba signa rerum, ut res esse non desinant. cum ergo uerbum ore procedit, si propter se procedit id est ut de ipso uerbo aliquid quaeratur aut disputetur, res est utique disputationi quaestionique subiecta, sed ipsa res uerbum uocatur. quicquid autem ex uerbo non auris sed animus sentit et ipso animo tenetur inclusum dicibile uocatur. cum uero uerbum procedit non propter se sed propter aliud aliquid significandum dictio uocatur. res autem ipsa quae iam uerbum non est neque uerbi in mente conceptio, siue habeat uerbum quo significari possit siue non habeat, nihil aliud

pronuntiatum est, dictio fuit: non enim propter se prolatum est, sed ut eo significarentur uel bella quae gessit Aeneas uel scutum et cetera, quae Vulcanus heroi fabricatus est. ipsa uero bella uel arma, quae gesta aut gestata (*corr. Vsener pro* ingesta *ex D in quo* igestata) sunt ab Aenea (ipsa inquam quae cum gererentur atque essent uidebantur quaeque si nunc adessent uel digito monstrare possemus aut tangere, quae etiamsi non cogitentur non eo tamen fit ut non fuerint) ipsa ergo per se nec uerba sunt nec dicibilia nec dictiones, sed res quae iam proprio nomine res uocantur. tractandum est igitur nobis in hac parte dialecticae de uerbis, de dicibilibus, de dictionibus, de rebus. in quibus omnibus cum partim uerba significentur partim non uerba, nihil est tamen, de quo non uerbis disputare necesse sit. itaque de his primo disputetur per quae de ceteris disputare conceditur.

Igitur uerbum quodlibet excepto sono (de quo bene disputare ad facultatem dialectici pertinet, non ad dialecticam disciplinam, ut defensiones Ciceronis sunt quidem rhetoricae facultatis sed non his docetur ipsa rhetorica) ergo omne uerbum praeter id quod sonat quattuor quaedam necessario uocat in quaestionem: originem suam uim declinationem ordinationem. de origine uerbi quaeritur, cum quaeritur unde ita dicatur, res mea sententia nimis curiosa et minus necessaria. neque hoc eo mihi placuit dicere, quod Ciceroni (*d. nat. deor. III 24, 62*) quoque idem uidetur. quis enim egeat aucto-

1 optinent uerba[orum] *C* || 2 illa *om. D* || nam — loquimur *uncis inclusit Vsener* || 4 loquimur *corr. ex* loqnimur *B* || occurr̃ *C* || 8 quidquid *DP* || 9 aures *BD* aur[i]es *P* || et *DCP* ex *sed in mg.* i. e. et *B* || 11 aliquod *BP* || 14 quod *D* ||

quam res uocatur proprio iam nomine. haec ergo quattuor distincta teneantur uerbum dicibile dictio res. quod dixi uerbum et uerbum est et uerbum significat. quod dixi dicibile uerbum est, nec tamen uerbum sed quod in uerbo intellegitur et animo continetur significat. quod dixi dictionem uerbum est, sed quod iam illa duo simul id est et ipsum uerbum et quod fit in animo per uerbum significat. quod dixi rem uerbum est, quod praeter illa tria quae dicta sunt quicquid restat significat. |

Verba ipsa quispiam ex eo putat dicta quod aurem quasi uerberent. immo inquit alius quod aerem. sed quid nostram? non magna lis est, nam uterque a uerberando huius uocabuli originem trahit. sed de transuerso tertius uide quam rixam inferat. quod enim uerum nos ait loqui oportet odiosumque fit natura ipsa iudicante mendacium, uerbum a uero cognominatum est. nec ingenium quartum defuit. nam sunt qui uerbum a uero quidem dictum putant, sed prima syllaba satis animaduersa secundam neglegi non oportere. uerbum enim cum dicimus, inquiunt, prima eius syllaba uerum significat secunda sonum. hoc enim uolunt esse 'bum'. unde Ennius sonum pedum 'bombum pedum'

ritate in re tam perspicua. quod si omnino multum iuuaret explicare originem uerbi, ineptum esset aggredi quod persequi profecto infinitum est. quis enim reperire possit quicquid dictum fuerit unde ita dictum sit. huic accedit quod ut somniorum interpretatio ita uerborum origo pro cuiusque ingenio iudicatur. ecce enim u e r b a i p s a . . . g r a e c i c l a m a r e et Vergilius (*geo. III* 223) 'reboant siluae'.

1 quatuor *P* $\cdot IIII^{or}\cdot$ *B* || 2 distincte *P* || 3 significat et nomen est sed uerbi · · quod *B* || 5 significat *suprascr. a manu rec.:* continetur *P* || 6 uerbum est nec tamen uerbum sed *P* || iam $\ddot{\text{in}}$ illa *B* || 7 ipsud *C* || quod fit] quod *a manu rec. add. in P* || 9 quidquid *DP* || 11 inquid *D* || 12 nostra *CP* || 13 sed de tra^{ns}uerso *D* sed et de transverso *C* || 14 $\overset{v}{\text{u}}$bide *D* || 15 odiosum quae *D* || fit *corr. Vsener pro* sit || 16 quarto *C* quartum est defuit *deleto* est *B* || 17 putent *C* || 18 sillaba *C* || 19 enim *BDP* autem *C* || 21 bonbum *D* ||

dixit, et βοῆσαι graeci clamare. | ergo uerbum dictum est quasi a uerum boando hoc est uerum sonando.

LIBRI II—IIII AD SEPTIMIVM

III

2* Stoici autumant | nullum esse uerbum cuius non certa explicari origo possit. et quia hoc modo eos urguere facile fuit, si diceres hoc infinitum esse, quod quibus uerbis alicuius uerbi originem interpretareris, eorum rursus a te origo *quaerenda esset: illi docent hoc tamdiu faciendum* esse, donec perueniatur eo ut res cum sono uerbi aliqua similitudine concinat, ut cum dicimus aeris tinnitum, equorum hinnitum, ouium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum. perspicis enim haec uerba ita sonare, ut ipsae res quae his uerbis significantur. sed quia sunt res quae non

ergo uerbum . . . uerum sonando. quod si ita est, praescribit quidem hoc nomen, ne cum uerbum facimus mentiamur. sed uereor ne ipsi, qui dicunt ista, mentiantur. ergo ad te iam pertinet iudicare, utrum uerbum a uerberando an a uero solo an a uerum boando dictum putemus, an potius unde sit dictum non curemus, cum quid significet intellegamus. breuiter tamen hunc locum notatum (hoc est de origine uerborum) uolo paulisper accipias, ne ullam partem suscepti operis praetermisisse uideamur. stoici autumant (*fr.* 2*) . . . *cf.* Augustin. de magistro V 12. I p. 679 ed. congr. S. M. Prisc. VIII 1. I p. 369, 5: uerbum autem quamuis a uerberatu aeris dicatur, quod commune accidens est omnibus partibus orationis, tamen praecipue in hac dictione quasi proprium eius accipitur, qua frequentius utimur in omni oratione. *cf.* Cassiod. de orat. et de part. eius 2. II p. 570A Garet.

2*. Augustin. de dial. VI p. 42 ed. congr. S. M. p. 9 ed. Crec. stoici autumant, quos scio (*ci. Vsener* cic̃ *B* cicero *DCP*) in hac re ut Cicero irridet nullum esse . . . [Donat. III 6, 2 p. 1775:

1 boesei *B* boese *C* boesae *D* boase *uel* boose *P* || greci *C* || ergo uerbum dictum est a uere boando *a man. rec. add. in P* || 2 quasi uere boando *C* || 6 posit *C* || 7 dices *P* || quod *add. Wachsmuth* || 8 origine *BD* || interpraetaris *BC* interpretaris *DP* || rursus *om. C* || 9 origo dum esse donec *BD* origo querendum esse donec *C* origo dicenda est donec *P lacunam expleuit Crecelius et Wachsmuth* || 11 innitum *C* || 12 cathenarum *D* || 13 ista *BC* ||

sonant, in his similitudinem tactus ualere, ut si leniter uel aspere sensum tangunt, lenitas uel asperitas litterarum ut tangit auditum, sic eis nomina pepererit, ut ipsum lene cum dicimus leniter sonat. quis item asperitatem non et ipso nomine asperam iudicet? lene est auribus cum dicimus uoluptas, asperum cum dicimus crux. ita res ipsae afficiunt ut uerba sentiuntur. mel, quam suauiter gustum res ipsa, tam leniter nomine tangit auditum; acre in utroque asperum est; lana et uepres ut audiuntur uerba sic illa tanguntur. haec quasi cunabula uerborum esse crediderunt, ubi sensus rerum cum sonorum sensu concordaret: hinc ad ipsarum inter se rerum similitudinem processisse licentiam nominandi, ut cum uerbi causa crux propterea dicta sit, quod ipsius uerbi asperitas cum doloris quem crux efficit asperitate concordet, crura tamen non propter asperitatem doloris, sed quod longitudine atque duritie inter membra cetera sint ligno crucis similiora, sic appellata sunt. inde ad abusionem uentum, ut usurpetur nomen non rei similis sed quasi uicinae. quid enim simile habet significatio parui et minuti, cum possit paruum esse, quod

κατάχρησις est usurpatio nominis alieni, ut parricidam dicimus, qui occiderit fratrem et piscinam quae pisces non habet. haec enim nisi extrinsecus sumerent suum uocabulum non haberent. Char. p. 276, 13: antiphrasis est dictio ex contrario significans. haec ab ironia hoc differt, quod ironia adfectu mutat significationem, antiphrasis uero

3 auditam *DP* || si^c^eis *C* || peperit et ipsum *P* || 6 asperum est cum *P* || cr$\widehat{u}$x *B* || 7 adficiunt *D* ef^a^ficiunt *B* efficiunt *P* || sentiuntur *corr. in* sentiantur *D* sentiantur *BP* || 8 re *ci. Otto Iahn* || leuiter *P* || 9 *post* uerba *duae fere litterae erasae in B* || 11 concordarent *BCDP* || 12 ipsam *C* || similitu^dine^ processisse *C* || 15 concordat *CP* concordaret *B* || 16 duritiae et inter *B* duritiae et inter *sed pro* et *antea* ae *scriptum fuisse uidetur D* duritie et inter *C* duritiae inter *P* || 17 crucis *om. BCDP add. Louanienses* || appellata sint *BCD* || 18 uentum est ut *P* || nomen non *cod. Carthusianus Louaniensium* tamen non *BCDP* || 19 sed *om. P* || 20 parum *BCD* ||

non modo nihil minutum sit sed aliquid etiam creuerit? dicimus tamen propter quandam uicinitatem minutum pro paruo. sed haec abusio in potestate loquentis est, habet enim paruum ut minutum non dicat. illud magis pertinet ad id quod nunc uolumus ostendere, quod cum piscina dicitur in balneis, in qua piscium nihil sit nihilque simile piscibus habeat, uidetur tamen a piscibus dicta propter aquam, ubi piscibus uita est. ita uocabulum non translatum similitudine, sed quadam uicinitate usurpatum est. quod si quis dicat homines piscibus similes natando fieri et inde piscinae nomen esse natum, stultum est repugnare, cum ab re neutrum abhorreat et utrumque lateat. illud tamen bene accidit, quod hoc uno exemplo diiudicare iam possumus, qui distet origo uerbi quae de uicinitate arripitur ab ea quae de similitudine ducitur. hinc facta progressio usque ad contrarium. nam lucus eo dictus putatur quod minime luceat, et bellum quod res bella non sit, et foederis nomen quod res foeda non sit; quod si a foeditate porci dictum est ut nonnulli uolunt, redit origo ad illam uicinitatem, cum id quod fit ab eo per quod fit nominatur. nam ista omnino uicinitas late patet et per multas partes secatur: aut per efficientiam, ut hoc ipsum a foeditate porci per quem foedus efficitur, aut per effecta, ut puteus quod eius effectum potatio est creditur dictus, aut per id quo continetur, ut urbem ab orbe appellatam uolunt, quod

diuersitatem rei nominat, ut bellum dicitur, quod minime sit bellum, et lucus, quod minime luceat. *cf.* Donat. III 6, 2 p. 1778. Mart.

2 quamdam *BP* || 4 dicatur *CP* || 5 nunc *om. C* || 6 piscibus simile *CP* || 7 dictam *BD* || 11 stultu *C* || repugnare *BDP* reputare *C* || 13 accidi *C* || hoc *om. C* || 14 quid distet *BC* quod istic *P* || abripitur *C* || 15 de similitudine *BCD* dissimilitudine *P* || dicitur *C* || 19 origo *BCD* ergo *P* || 20 eo *ex correct. add. in C* || 22 feditate *C* || porci [per] quem fedus *C* || 23 efficiatur *CD* || per effectum *P* || 24 eius effectus *P* || putatio [uel o] *B* putatio *D* || quod continetur *C* quod continet *P* || 25 apellatam *C* ||

auspicato locus aratro circumduci solet, | aut per id quod continet, ut si quis horreum mutata littera affirmet ab hordeo nominatum, aut per abusionem, ut cum horreum dicimus et ibi triticum conditur, uel a parte totum ut mucronis nomine, quae summa pars gladii est, gladium uocamus, uel a toto pars ut capillus quasi capitis pilus. | innumerabilia sunt uerba, quorum origo, de qua ratio reddi possit, aut non est ut ego arbitror, aut latet ut Stoici contendunt.

Vide tamen paululum quomodo perueniri putant ad illa verborum cunabula uel stirpem potius atque adeo sementum, ultra quod quaeri originem uetant, nec si quisquam uelit potest quicquam inuenire. nemo abnuit syllabas, in quibus V littera locum obtinet consonantis, ut sunt in his uerbis primae: uafer uelum uinum uomis uulnus, crassum et quasi ualidum sonum edere. quod approbat etiam loquendi consuetudo, cum de quibusdam uerbis eas subtrahimus ne onerent aurem. nam unde est, quod amasti dicimus libentius quam amauisti et nosti quam nouisti, et abiit non abiuit et in hunc modum innumerabilia? ergo cum dicimus uim, sonus

Cap. IIII 360 p. 104 Gr. Isid. or. I 36, 24] . . . c i r c u m d u c i s o l e t, cuius rei et Vergilius (*A. V* 755) meminit ubi Aeneas urbem designat aratro, a u t p e r i d . . . c a p i t i s p i l u s. quid ultra prouehar? quicquid aliud adnumerari potest, aut similitudine rerum et sonorum aut similitudine rerum ipsarum aut uicinitate aut contrario contineri uidebis originem uerbi. quam persequi non quidem ultra soni similitudinem possumus, sed hoc non semper utique possumus. i n n u m e-

2 quis h. orreum *C* || mutata d littera *P* || 3 ordeo *C* || au t per : cum *B* || ut orreum *C* hordeum *P* || 4 ubi *D* || 6 uocamus *DP* uocant *C* dicimus *B* || capillos *BP* || pilos *BP* || 7 origo *om.* *C* || 8 stoyci *C* || 11 cunabula uerborum *C* || sementum *BDP* semttuĩ *C* || 12 quisque *P* || 13 quidquam *P* || syblabas *D* || 14 ·u· littera *B* quinta littera *C* || obtinent *C* || 15 primae *DP* prime *C* primae syllabae *B* || uafer *suprascr.* fer *a man. rec.* *P* || grassum *D* || 17 eas *BCD* eam *P* || 18 honerent *CP* || unde *BD* inde *CP* || 19 habiit *D* || habiit non habiuit *utroque loco deleto* h *C* || non] quam *P* || 20 hunc *corr. ex* hoc *C* ||

uerbi ut dictum est quasi ualidus congruit rei quam significat. iam ex illa uicinitate per id quod efficiunt, hoc est quia uiolenta sunt, dicta uincula possunt uideri et uimen, quo aliquid uinciatur. inde uites, quod adminicula quibus innituntur nexibus prendunt. hinc iam propter similitudinem incuruum senem uietum Terentius appellauit. hinc terra, quae pedibus itinerantium flexuosa et trita est, uia dicitur. si autem uia, quod ui pedum trita est, magis creditur dicta, redit origo ad illam uicinitatem. sed faciamus a similitudine uitis uel uiminis, hoc est a flexu esse dictam. quaerit ergo a me quispiam: quare uia dicta est, respondeo: a flexu, quod flexum uelut incuruum uietum ueteres dixerunt, unde uietos etiam quae cantho ambiantur rotarum ligna uocant. persequitur quaerere unde uietum flexum dicatur, et hic respondeo a similitudine uitis. instat atque exigit, unde ita sit uitis nomen; dico: quod uinciat ea quae comprachenderit. scrutatur ipsum uincire unde dictum sit; dicemus a ui. Vis quare sic appellatur requiret; reddetur ratio quod robusto et quasi ualido sono uerbum rei quam significat congruit. ultra quod requirat

rabilia sunt enim uerba . . . est persequi. nam et longum et minus quam illa quae dicta sunt necessarium.

1 quasi *corr. ex* quae si *C* quaesi *D* || ualidius *BCDP* || 3 uiolentia *B* || possint *B* || 4 quo aliquid uinciatur *om. B* || amminicula *B* || 5 innituntur *corr. ex* inmituntur *C* || prendunt *corr. ex* prendent *uel* prendont *C* praendunt *B* || 6 Terentius] *Eun. IIII 4, 21* || 7 iterantium *corr. ex* itinerantium *C* iterantium *P* || est et trita *P* || 8 ui pedum *corr. ex* uis pedum *C* uis pedum *B* usu (*suprascr.* uel ui) pedum *P* || 9 faci[a]emus *C* || 10 dicta *C* || 11 que[rit] ergo *B* || a me *C* me *BDP* || 12 uictum *D* || 13 uictos *D* || etiam quod *P* || canto *C* cantu *BDP* || ambiuntur *P* || 15 dicatur i *in rasura scripto C* || 16 ita sit uitis nomen *BDP* istud uiti sit nomen *corr. ex* ista uitis sit nomen *C* || quod *CP* quid *BD* || 18 dicemus *corr. ex* dicimus *D* || a ui uis *add. a man. rec. in P* a uiuis. quare *B* a uiuis. quare *corr. ex* a uiuis. quere *C* || 19 reddetur ratio *add. a man. rec. in P* || 20 ultro *C* ||

non habet. quot modis autem origo uerborum corruptione uocum uarietur, ineptum est persequi.

3 Varro asinos rudere canes gannire pullos pipare dixit.

4 Ita respondeant cur dicant deos cum omnes antiqui dixerint diuos.

5 Fixum.

6 Sicut nocet panthera et lea.

IIII

7 Prolubium et prolubidinem dici ab eo quod lubeat. unde etiam lucus Veneris Lubentinae dicatur.

3. Non. p. 450 M: gannire cum sit proprie canum (V a r r o . . . d i x i t et Lucretius lib. V (*1070*) alio pacto gannitu uocis adulant) etiam humanam uocem nonnulli gannitum uocauerunt. *cf.* Non. p. 156.

4. Seru. ad Verg. A. XII 139: deus autem uel dea generale nomen est omnibus. nam graece δέος, qui latine timor (δέος est latine timor *volg.* deus graece dicitur φόβος id est timor *Daniel*) uocatur. inde deus dictus est, quod omnis religio sit timoris. Varro ad Ciceronem tertio: i t a r e s p o n d e a n t . . . d i u o s. *cf.* Seru. ad A. V 45. VIII 275.

5. Diom. p. 377, 11: figor ambigue declinatur apud ueteres tempore perfecto. reperimus enim fictus et fixus. Scaurus de uita sua 'sagittis' inquit 'confictus', Varro ad Ciceronem tertio f i x u m.

6. Philargyr. in Verg. ecl. II 63: hoc nomen (leaena) licet ueteres latinum negent, auctoritate tamen ualet. dicebant enim leonem masculum et feminam, ut Plautus in Vidularia: nam audiui feminam ego leonem semel parire. Cicero de gloria libro II sic ait: statuerunt gloria leaenae. leam uero Varro ad Ciceronem dicit libro III (libro NII *cod. Paris. 7960*): s i c u t . . . l e a.

7. Non. p. 64 Prolubium . . . . Varro de lingua latina libro IIII (lingua lib. IIII *suprascr.* latina *W*): p r o l u b i u m . . . d i c a t u r. *cf.* Varro l. l. VI 47 p. 224.

2 prosequi *P* || 4 deus *cod. Paris. 7929. in Regin. et Hamburg. Varronis desiderantur uerba.* || omnibus *Paris.* || 6 Ciceronem fixum *M* || 7 nocẽ (h suprascr.) pantera *cod. Laurent. pl. 45, 14 Paris.* || 9 proluuiem et proluuidinem *W* || 10 lubentina *WL* ||

LIBRI V—XXV AD CICERONEM

QVORVM V—X SERVATI SVNT IN CODICE FLORENTINO

XI

8 Varro ait genera tantum illa esse quae generant.

9 Dicit Varro nullam rem animalem neutro genere declinari.

10 Ait Plinius Secundus, secutus Varronem, quando du-

8. Pomp. comment. art. Don. 11, 1 p. 143 Lind.: Varro ait . . . generant. illa proprie dicuntur genera. quod si sequemur auctoritatem ipsius, non erunt genera, nisi duo: masculinum et femininum. nulla enim genera creare possunt, nisi haec duo. Seru. exposit. super partes minores p. 491 Lind.: Varro dicit genera dicta a generando. quicquid enim gignit uel gignitur, hoc potest genus dici et genus facere. quod si uerum est, nulla potest res integrum genus habere nisi masculinum et femininum. Seru. in secundam Donati edit. comm. p. 1782 P.: genera dicta sunt ab eo quod generant atque ideo tantum duo sunt genera principalia: masculinum et femininum, hi enim sexus tantum generant. Prisc. V 1 p. 141, 4: genera nominum principalia sunt duo, quae sola nouit ratio naturae: masculinum et femininum. genera enim dicuntur a generando proprie quae generare possunt, quae sunt masculinum et femininum. Isid. orig. I 6, 33: genera dicta sunt quia generent, ut masculinum et femininum.

9. Cledon. p. 1897 P.: Ostrea si primae declinationis fuerit sicut musa, feminino genere declinabitur, ut ad animans referamus; si ad testam, ostreum dicendum est neutro genere et ad secundam declinationem, ut sit huius ostrei, sicut ostri. quia dicit Varro . . . declinari. *cf.* Seru. expos. Don. p. 492 Lind. Caper de uerb. dub. p. 2249 P.: ostrea et ostreas, quia nullum animal speciale neutrum est. Char. p. 57, 24: haec ostrea feminino genere singulari numero an hoc ostreum neutrali dicendum sit quaeritur. et dicenda haec ostrea feminine singulari numero, quia ita ab eruditis non uane adnotatum est, nullius animalis speciale nomen inueniri quod neutrale sit.

10. Pomp. comm. art. Don. 11, 7 p. 154 Lind.: Ait Plinius . . . principale genus. puta arbor ignoro cuius generis sit. fac diminutiuum arbuscula, ecce hinc intellegis et principale genus quale

4 esse *supra lineam cod. Sangermanens. 1180 saec. VIIII uel X* || 5 dicitur *cod. Bern. 380 saec. VI uel VII* ||

bitamus principale genus redeamus ad diminutionem, et ex diminutiuo cognoscimus principale genus.

11 Hypocorismata semper generibus suis unde oriuntur consonant, pauca dissonant velut haec rana hic ranunculus, hic unguis haec ungula, hoc glandium haec glandula, hic panis hic pastillus et hoc pastillum, ut Varro dixit: haec beta hic betaceus, haec malua hic maluaceus, hoc pistrinum haec pistrilla, ut Terentius in Adelphis; hic ensis haec ensicula et hic ensiculus, sic in Rudente Plautus.

sit. item si dicas columna, cuius generis est? facis inde diminutiuum id est columella et intellegis, quoniam principale feminini generis est. *cf.* Char. p. 155, 13. Diom. p. 326, 9. Excerpta gramm. p. 535, 19 K. Prisc. III 27 p. 102, 1.

11. Char. p. 37, 13: Hypocorismata . . . Plautus. Char. p. 155, 13: illud uero meminerimus quod semper deminutiones generibus suis unde oriuntur consonant, pauca dissonant, ut rana ranunculus, unguis ungula, glandium glandula, beta betaceus, malua maluaceus, pistrinum pistrilla, ut Terentius in Adelphis, ensis ensicula et ensiculus: Plautus in Rudente. Exc. gramm. I p. 535, 21 K.: illud uero memineris quod semper deminutiones generibus suis unde oriuntur consonant, pauca dissonant, ut rana ranunculus, glandium glandicula, beta betaceus, malua maluaceus, pistrinum pistrilla, ut Terentius in Adelphis, ensis ensicula et ensiculus: Plautus in Rudente. p. 551, 36: semper ὑποκορίσματα generibus suis unde oriuntur consonant, pauca dissonant, ut haec rana ranunculus, unguis ungula, beta betaceus, malua maluaceus, pistrinum pistrilla, ensis ensicula. Char. p. 94, 2: deminutionis inaequalitas dura est, ut iuuenis iuuenculus, canis catulus, puluis puluisculus, uinum uinulum, talus taxillus, panis pastillus, homo homunculus et homuncio, piscis pisciculus et pisculus. Diom. p. 326, 9: apud nos diminutionis hoc genus seruatur quod est primae positionis, id est prima diminutio . . . sunt item quae non seruant genera, quae ex nominibus primae positionis acceperunt, ut scutum scutula scutella, pistrinum pistrilla, canis canicula, rana ranunculus, unguis ungula ungella ungellula. Prisc. III 44 p. 115, 6:

2 diminutiuo *cod. Sangermanens. 1179 saec. VIIII uel X* || cognoscemus *Sangerm. 1179* || 3 Ypocorismata semper generib: suis und . . . hic ranuncul: hic ung(a)is haec ungula(anguilla). h . . . h. pastillum ut uarro dixit haec beta hic betace . . . h. pistrinum haec pistrilla ut terentius in ad . . . sic in rudente plautus: *N reliqua, quae ibi iam legi non possunt, e Charisio exc. grammaticis editione principe Diomede Prisciano suppleta* || 8 Terentius *Ad. IIII 2, 44* || 9 hic *om. libri* || Plautus *Rud. IIII 4, 112* ||

12 Dies communis generis est. qui masculino genere dicendum putauerunt has causas reddiderunt, quod dies festos auctores dixerunt non festas, et quartum et quintum kalendas, non quartam nec quintam, et cum hodie dicimus, nihil aliud quam hoc die intellegitur. qui uero feminino, catholico utuntur quod ablatiuo casu E non nisi producta finiatur, et quod deminutio eius diecula sit non dieculus, ut ait Terentius 'quod tibi addo dieculam'. Varro autem distinxit ut masculino genere unius diei cursum significaret, feminino autem temporis spatium. quod nemo seruauit.

et sciendum quod pauca inueniuntur diminutiua, quae non seruant genera primitiuorum, ut rana ranunculus, canis canicula, scutum uel scuta scutula scutella. Lucilius in V: 'scutam ligneolam in cerebro infixit'. hic qualus hoc quasillum, pistrinum pistrilla, haec acus hic aculeus, et praeterea anguis anguilla, unguis ungula, nubes nubilum, quae magis denominatiua sunt existimanda quam diminutiua, quippe non habent diminutiuorum significationem, sed formam tantum. praeterea panus panucula. Lucilius in VIII 'intus modo stet rectus . . subteminis panus'. Probus etiam ponit hoc glandium haec glandula, ensis ensiculus ensicula, praeterea haec beta malua, hic betaceus maluaceus.

12. Char. p. 110, 8: Dies communis . . . seruauit. nam et secundum distinctionem dixit Vergilius (*Aen. II 324*): 'uenit summa dies' id est tempus, et (*Aen. IIII 169*): 'ille dies primus leti' pro uno die. tamen et feminino genere diei spatium significat, cum ait (*Aen. V 104*): 'exspectata dies aderat'. cf. Prisc. V 26 p. 158, 11. ***in 'libro glossarum' Bern. n. 16 fol. 121ᵘ· leguntur haec, quae Vsener mihi descripsit:*** dies cum multa significet, significat etiam tempus plerumque generale, quod (quo *Vsener*) et dies et nox conprehendatur. dies generis masculini bonum tempus, feminini malum significat. dies secundum artis regulam feminini generis est, cum significat tempus: eius diminutio diecula et ablatiuus casus producta ·e· littera terminatus, ut ab hac die, ab hac re, ab hac specie. uerum masculino genere dicendum in trina obseruatione retinemus: in qualitate numero aduerbio. qualitate, ut 'serenus dies' [numero serena], numero, aut (ut *Vsener*) 'bis quinos silet ille dies' non 'bis quinas', aduerbio, ut hodie non hac die. Ceterum diecula nihil praeiudicat, qui nihil (quia nonnulla *Wachsmuth*) diminutiua recedunt a nominibus primae positionis, ut scutum scutula (*corr. ex* scutela) scutella, canis canicula, rana raniculus.

4 nec quintam *N* et quintam *p* || 5 intellegitur *p* intellegatur *N* || 8 *Terent. Andr. IIII 2, 27* || 9 distinxit et mas̄ genē *N* distincxit masculino genere *p* ut *Putschius* || cursum significare *N* cursus significaret *p* ||

13 Hic naeuus.

14 Varro de lingua latina ait, talia ex Graeco sumpta ex masculino in femininum transire et A litera finiri ὁ κοχλίας haec cochlea, ὁ χάρτης haec charta, ὁ γαυσάπης haec gausapa.

15 VIS et ipsa tertiae sunt declinationis et similem nominatiuo faciunt genetiuum: hic ciuis huius ciuis, haec uis

13. Gramm. inc. de generib. nom. 224 p. 89, 12 Haupt. p. 45 Otto: Naeuus generis neutri, sed Varro ad Ciceronem: hic naeuus.

14. Prisc. VII 55 p. 333, 1: Horatius in II sermonum (*8, 10*): 'his ut sublatis puer alte cinctus acernam gausape purpureo mensam pertersit'. unde Persius (*VI 46*), quasi in e tantum desinente supra dicti nominis ablatiuo, gausapa dixit plurale, non gausapia: 'iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis'. idem (*IIII 37*) 'balanatum gausape pectes'. antiquissimi tamen et hic gausapes et haec gausapa et hoc gausape et plurale neutri haec gausapa quasi a nominatiuo hoc gausapum protulisse inueniuntur, unde Cassius ad Maecenatem: 'gausapo purpureo salutatus'. Varro uero de lingua . . . gausapa. Seneca Ouidium sequens: 'gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba'. Char. p. 104, 8: gausapa Ouidius (*art. am. II 300*) neutraliter dixit 'gausapa si sumpsit, gausapa sumpta' et Cassius Seuerus ad Maecenatem 'gausapo purpureo salutatus', sed Augustus in testamento: 'gausapes, lodices purpureas et colorias meas'. Varro autem ait uocabula ex Graeco sumpta, si suum genus non retineant, ex masculino in femininum latine transire et A littera terminari, uelut κοχλίας cochlea, Ἑρμῆς herma, χάρτης charta, ergo γαυσάπης gausapa. cui generi elegantiores addiderunt necessitatem, ut dicerent tunicam gausapam, quod quomodo diceretur merito non constitit, quia usus eius apud ueteres non fuit. et M. Messala de Antonii statuis 'Armenii regis spolia gausapae'. Char. p. 108, 4: Margarita feminini generis est, quia graeca nomina ης terminata in A transeunt et fiunt feminina, ut ὁ χάρτης haec charta, μαργαρίτης margarita, aut communia ut ἀθλητὴς athleta. ergo neutraliter hoc margaritum dicere uitiosum est, et tamen multi dixerunt, ut Valgius in epigrammate 'situ rugosa, rutunda margarita'. et Varro epistulicarum VIII 'margaritum unum, margarita plura'. sed idem Varro saepe et alii plures margarita feminine dixerunt, in genetiuo tamen plurali non nisi feminino genere margaritarum.

15. Prob. cath. p. 30, 26: VAS terminata et SIS faciunt genetiuo et DIS . . . uis et ipsa . . . declinantur. *cf.* Prob. cath. p. 19, 19.

1 netius *bis cod. Laon.* neuus *bis cod. Vindob.* || 2 sumta *L* sumpta et masculino *R* || 3 aliterea *Rr* et ea littera *in mg. r* aliterea *K* aliter ea *BDHGL* || finibri *K* || 4 ΚΟΧΛΕΑC *L* ΚΟΧΛΗΑC *K* ΚΟΧ^ΛΑΙΑC *Rr* ΚΟΚlΑΙC *H* || coclea *RBH* coclia *DGL* || Ο * ΧΑΡΤΕC *K* ΧΑΡΤΕC *R* ΚΑΡΤΕC *H* || cartha *R* carta *DH* || ΓΑΥCΑΠΕC *BHGK* || 7 hic *om. libri* ||

huius uis et plurali hae uis sicut Lucretius et Varro, nam hae uires numero semper plurali declinantur.

16 VAS terminata et SIS faciunt genetiuo et DIS, hoc uas huius uasis hic uas huius uadis: utrumque Varro ait de lingua latina.

17 Lucius et Aemilius et cetera nomina quae ante V habent I duplici I genetiuo singulari finiri debent, ne necesse sit aduersus obseruationem nominum nominatiuo mi-

Prisc. VI 64 p. 249, 9. Sacerd. II 66 p. 59 Endl.: VIS tertiae sunt declinationis, similem nominatiuo faciunt genetiuum hic: ciuis huius ciuis, haec uis huius uis, et plurali hae uis, nam hae uires numero semper plurali declinantur.

16. Prob. cath. p. 30, 26: VAS terminata...latina. Cicero (*p. Sest. 8, 19*) 'uultu tamquam uade'. *cf.* Prob. cath. p. 19, 16. Sacerd. II 64 p. 59 Endl.: VAS tertiae sunt declinationis et SIS faciunt genetiuo et DIS: hoc uas huius uasis uel uadis. Cicero 'uultu tamquam uade'.

17. Char. p. 78, 4: Lucius et . . . unius fiet. et Plinius quoque dubii sermonis VI (*cf. Schottmueller l. l. p. 42*) adicit esse quidem rationem per duo I scribendi, sed multa iam consuetudine superari. sane opinionem de uocatiuo casu traditam infirmat, quod hic pius in uocatiuo pii faciat. adeo enim [non] semper uocatiuus casus eandem scripturam patitur quam genetiuus. *cf.* Vel. Long. p. 2220 *ad fr. 44 exscr.* Beda p. 2373 P. Scaur. de orthogr. p. 2257 P.: per detractionem hoc modo scribendi ratio corrupta est, quibusdam uno I scribentibus genetiuum eorum nominum, quae IVS nominatiuo singulari finiuntur, ut Antonius Antoni, Tremelius Tremeli, exigente regula, ut in horum genetiuis I littera geminetur, quoniam genetiuus

1 huius uis et pluraliter hae uis *p* huius uis et plu hae uis *alio atramento ut uisum est Lindemanno suprascr. in B* || sicut reneus (*corr.* renus) et uarro *B* sicut ritiennus et uarro *p* || 3 hoc uas huius uasis hic uas huius uadis utrumque *ci Spengelius allg. schulz. 1832 p. 275* hoc uas huius uasis uel hoc uasum huius uasi utrumque *ci. Keilius* hoc uas huius uasis utrumque Varro ait de lingua latina hic uas huius uadis *B* || 6 Lucius et Aemilius et cetera *in N legi non possunt* (= *desunt in N*) Lucius Aemilius et cetera *Putschius ex codice Dousae Lucil. sat. VIIII 7 p. 45 et 123 quem in reliquis quoque secutus est* (= *P*) || 7 duplici .ii. *N* || genetiuo singulari *desunt in N* || genetiuos singulares finire debent *P* || finiri debentur *N* || ne *om. N* ut *P* || 8 tionem nominum *desunt in N* || obseruationem nominatiuo non minorem *P* ||

norem fieri genetiuum. idque Varro tradens adicit uocatiuum quoque singularem talium nominum per duplex I scribi debere, sed propter differentiam casuum corrumpi. Lucilius tamen et per unum I genetiuum scribi posse existimat. ait enim 'seruandi Numeri, numerum ut seruemus modumque'. numquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium per I huius Numeri faciendum crederet. denique et in libro VIIII sic ait 'porro hoc, filius Luci, feceris I solum ut Corneli Cornificique'. et paulo post 'pupilli pueri Lucili, hoc unius fiet'.

18 Plinius eodem libro: ab antiquis, inquit, quos Varro

singularis non debeat minorem numerum syllabarum habere, quam nominatiuus, quin imo interdum etiam maior fit. propter quam causam ego etiam uocatiuos horum per duo I, non ut consuetudo usurpauit, per unum putem esse scribendum. quia non debeat aeque uocatiuus minorem numerum syllabarum habere quam nominatiuus. ita o Antonii, o Aemilii in singulari uocatiuo et dicendum et scribendum esse contenderim. Prob. de ult. syll. p. 227, 22: necessarium esse existimo rationem horum nominum et declinationis exponere, quae genetiui singularis uel nominatiui et uocatiui pluralium I litteram ultimam debeant duplicare. ea nomina, quae nominatiuo casu singulari I litteram uocalem ante ultimam syllabam habuerint, in omni genere I litteram debent necessario geminare, non solum metri gratia sed etiam propter uitium barbarismi, et ut ne sit contra rationem nominatiuo breuior genetiuus, ut 'Chaoniique patris' (*Verg. georg. II 67*), quia dicimus hic Chaonius.

18. Char. p. 122, 23: Amni Maro 'secundo defluit amni' (*georg. III 447*), ubi P l i n i u s e o d e m . . . d i c i m u s. ac ne illa quidem

1 uocatiuum quoque *P desunt in N* || 3 sed propter differentiam *P desunt in N* || corrumpi .i. *N* corripi *P* || 4 Lucilius tamen et per unum i *desunt in N* Lucilius tamen et per unum i in genitiuo *P* || 5 enim (quare *add. Dousa*) seruandi numeri et uersus faciendi. Nos Caeli Numeri numerum et (ut *Dousa*) seruemus *P* || 6 modumque *P deest in N* || nisi et Caelii et Numerii per ii huius Numerii faciendum *P* || numerum *N* || 7 Numeri fa *desunt in N* || 8 libro IIII sic ad *N* libro nono sic ait *P* || filius Luci *desunt in N* si filius Luci ferit collum ut Corneli Cornificique *P uui* fecerit colum ut cornelii cornificiique *N* feceris i solum *L. F. Schmidtius Lucil. sat. VIIII p. 21* || 9 pupilli *deest in N* || pueri lucii h. unius fieri *N* pueri Lucili hoc unius fiet *P ex Velio Longo p. 2220* ||

reprehendit, obseruatio omnis illa damnata est, non quidem in totum. dicimus enim, inquit, ab hoc canali siti tussi febri. maiore tamen ex parte forma mutata est. ab hoc enim cane orbe carbone turre falce igne ueste fine monte fonte ponte strigile tegete aue asse axe naue classe dicimus.

19 Rure ordinatum arbustum.

20 Quorum nominum genetiui pluralis ante VM syllabam I litteram merebuntur, accusatiuus, inquit Plinius, per EIS loquetur, montium monteis; licet Varro, inquit, exemplis hanc regulam confutare temptarit istius modi: falcium falces non falceis facit, nec has merceis, nec hos axeis lintreis uentreis stirpeis urbeis corbeis uecteis inerteis. et tamen manus dat praemissae regulae ridicule, ut exceptis his nominibus ualeat regula.

21 Varro dicit ad Ciceronem XI horum poematorum et his poematis oportere dici.

ratio recepta est quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppim restim peluim * * * hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc iuueni pani. *cf.* Varro de l. l. VIIII 112 p. 539. Char. p. 47, 14.

19. Char. p. 142, 18: Rure Terentius in Eunucho (*V* 5, *1*) 'ex meo propinquo rure hoc capio commodi'. itaque et Varro ad Ciceronem XXII 'rure ueni'. quem Plinius ad eundem XI rure . . . arbustum dixisse laudat, sed et Terentium in Adelphis (*IIII* 2, *3*) 'filium negat esse rure' [sed] et Titinium in Hortensio 'in foro aut in curia | posita potius quam rure apud te inclusa', cum nemo dubitet.

20. Char. p. 129, 19: Fonteis, quorum nominum . . . ualeat regula. *cf.* Char. p. 137, 27. Varro de l. l. VIII 66 p. 440.

21. Char. p. 141, 29: Poematorum et in II et in III idem Varro adsidue dicit et his poematis, tam quam nominatiuo hoc poematum sit et non hoc poema. nam et ad Ciceronem . . . oportere dici.

5 strigle *N* || aue *in N uix legi potuit* || 7 ambustum *N* || 9 per.is *N* || 12 lyntreis *N* || 13 corbeis *ω* curueis *M* || inepteis *N* ||

22 Plinius sermonis dubii VI de Varrone: quam maxime uicina Graeco Graeca dicit, uti nec schematis quidem dicat sed schemasin.

23 Git. Varro ad Ciceronem XI per omnes casus id nomen ire debere conmeminit.

24 Secundum Varronem iuuenior et senior comparatiui sunt per inminutionem.

22. Char. p 52, 21: Singularia neutra A littera terminata nulla inueniuntur nisi peregrina, ut toreuma emblema poema, de quibus dubitatur quem casum genetiuum et ablatiuum habeant. legimus toreumatum et toreumatorum, toreumatibus et toreumatis et sic similia. commodius tamen senserunt, qui toreumatum et poematum dicendum putauerunt, primum quod haec magis ad romanum colorem uidentur accedere, dein quod quaecumque nomina genetiuo plurali apud graecos per *ων* litteras terminantur, translata in latinum *ων* in VM mutant, ut *Ἑκτόρων Νεστόρων*, Hectorum Nestorum. sic ergo, cum illi dicant *ἐμβλημάτων τορευμάτων ποιημάτων*, nos recte emblematum toreumatum poematum dicimus. similiter in genetiuo quoque singulari *ος* graecum in is latinum mutamus, ut *ἐμβλήματος* emblematis, *κηρώματος* ceromatis, *ποιήματος* poematis, *πήγματος* pegmatis. nam nominatiuum pluralem graece proferemus: poemata ceromata pegmata emblemata et similia. item poematibus schematibus emblematibus dicendum est, quoniam quaecumque nomina cuiuscumque generis singulari numero casu ablatiuo per E litteram exeunt, ea in genetiuo plurali VM et datiuo et ablatiuo BVS litteras habent, ut a pariete parietum parietibus, a muliere mulierum mulieribus, ab homine hominum hominibus, a litore litorum litoribus; sic a poemate poematum poematibus et cetera similia. Cicero in Verrem IIII tantum emblematum. Romanus (*Char. p. 140*, 5) poematis refert, quamuis ratio poematibus faciat. nam et Varro sic inscribit in libro suo 'de poematis' et Annius Florus ad diuum Hadrianum 'poematis dilector'. Plautus schema pro schemate dixit in Amphitruone (*prol. 117*) 'huc ergo processi cum seruili schema'. Plinius sermonis ... sed schemasin.

23. Char. p. 131, 7: Git. Varro ... conmeminit. uolgo autem hoc gitti dicunt. itaque ut Plinius sermonis dubii libro VI * * *cf.* Char. p. 34, 27. 35, 28. exc. gramm. p. 546, 36. 551, 17.

24. Seru. ad Verg. Aen. V 409: Secundum Varronem ... inminutionem. hinc et (*Aen. VI 304*) 'iam senior, sed cruda deo uiridisque senectus'. additum enim hoc est ad exprimendum quid sit senior. item Ouidius (*metam. XII 464*) 'inter iuuenemque senemque'. et re uera non conuenit hunc satis senem accipi, qui et uincere

1 plenius *N* || 2 greco grece $\overline{\text{dt}}$ *N* || 6 iuuenior et senior *cod. Laurent. plut. XXII 1 Hamburg.* ||

25 Catinuli.

XII

26 Haec de quattuor coniugationibus quae pertinent ad uerba quae analogiae parent, quarum exempla passim perscripta sunt et sunt nota. quae si quis conceperit animo, non facile labetur. sunt enim euidenter exposita * * et Varroni Menippeo.

27 Sapio tam sapui uel sapii quam sapiui protulisse auctores inueniuntur, Probo tamen sapui placet dici, Charisio

potest et uno ictu taurum necare. ergo senior non satis senex, sicut iunior non satis iuuenis, intra iuuenem, sicut pauperior intra pauperem. dicit autem hoc Varro in libris ad Ciceronem. Seru. ad Verg. Aen. VI 304: senior] aut pro positiuo posuit (id est senex *add. cod. Paris. 7929*), aut ut diximus senior est uir intra senem (uirens senex *uolg.*), ut iuuenior (*sic cod. Paris.*) intra iuuenem est, quam rem a Varrone tractatam (tracita *Paris. qui* confirmat et Plinius *omittit*) confirmat et (*sic Regin. 1674*) Plinius. Prisc. III 14 p. 92, 9: est quando (comparatiuus) pro positiuo positus minus eo significat et nulli comparatur, ut (*Verg. Aen. I 228*) 'tristior atque oculos lacrimis suffusa nitentes', tristior enim hic ex parte tristis significat, et 'iam senior, sed cruda deo uiridisque senectus' (*Verg. Aen. VI 304*).

25. Char. p. 79, 23: Catinus masculino genere dicitur, ut Maecenas in X 'ingeritur' ait 'fumans calido cum farre catinus'. et hinc deminutiue catillus fit, ut Asinius contra maledicta Antonii 'uolitantque urbe tota catilli'. sed Varro ad Ciceronem XI catinuli dixit, non catilli. *cf.* Varr. de l. l. VIIII 74 p. 511. Diom. p. 326, 7.

26. Diom. p. 371, 23: Haec de quattuor . . . Varroni Menippeo.

27. Prisc. X 7 p. 499, 17: Sapio tam . . . etiam approbat. Nonius tamen Marcellus de mutatis coniugationibus sic ponit: sapiui pro sapui. *cf.* Char. p. 246, 11. Diom. p. 369, 25. Non. p. 508: sapiui.

3 pertenent *B* || 5 et sunt *om. M.* || 7 uarrom *A* *Keilio uidentur uerba* et Varroni Menippeo *ad exemplum uel a grammatico uel a librario omissum pertinere et alieno loco interposita esse* || 8 sapui $\overset{\text{uel}}{\text{quam}}$ sapii quam sapiui *Kk* sapiui uel sapii quam $\overset{\text{i}}{\text{sapui}}$ *B* sapui uel sapii quam sapui *H* quam sapiui *om. R* || 9 inueniuntur *r* inueniantur *R* || Charisio *r* carisio *LK* cariseo *G* Charisius *R* ||

sapui uel sapiui, Aspro sapiui et sapii secundum Varronem, quod Diomedes etiam approbat.

XIII

28 Puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut graeci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut in Odyssia uetere, quod est antiquissimum carmen: 'mea puer, quid uerbi ex tuo ore audio'? et in Nelei carmine aeque prisco: 'saucia puer filia sumam' ubi tamen Varro, cum A puera putat dictum, sed Aelius Stilo magister eius et Asinius contra.

28. Char. p. 84, 5: Puer et in ... Asinius contra. Prisc. VI 41 p 230, 27: Haec etiam contra rationem supra dictarum regularum declinantur: puer pueri, cuius femininum puera dicebant antiquissimi, unde et puerpera dicitur, quae puerum uel pueram parit id est puellam, quod est diminutiuum puerae ut capra capella, tenera tenella, umbra umbella. Ouidius etiam hoc approbat qui in V metamorphoseon (*400*) de puella Proserpina narrans dicit 'tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis', quod deriuatiuum non pertineret ad feminas, nisi etiam puera esset dictum. quod tamen comprobat etiam Suetonius (*fr.* 199 *Reiff.*) diuersos ponens usus in libro qui est de institutione officiorum. Liuius in Odyssia: 'mea puera quid uerbi ex tuo ore supera (*sic Fleckeisenus* supra *libri*) fugit'? idem alibi: 'puerarum manibus confectum pulcherrime'. non est tamen ignorandum, quod etiam hic puerus et hic et haec puer uetustissimi protulisse inueniuntur et puellus puella. Lucilius in XI: 'inde uenit Romam tener ipse etiam atque puellus'. Caecilius in Imbris: 'age age i, puere, duc me ad patrios fines decoratum opipare'. Afranius in incendio: 'o puere puere, sine prospicere me mihi'. Plautus in lenonibus geminis: 'dolet hic puellus sese uenum ducier'. Lucilius in IIII: 'cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus'. Liuius in Odyssia: 'sancta puer Saturni filia regina' (*quo de uersu cf.*

1 uel sapiui *r* uel sapii *R* || Aspero *k* || et sapii] uel sapii *r* uel sapui *d* assapui D || 2 diomides *GLK* || adprobat *B* || 5 uetere *deleri mauolt Otto Iahn* || 6 *numeros saturnios ita reuocauit Keilius:* meá puer (*rectius opinor* por) quíd uérbi éx tuo óre audívi || 7 nelei *N* menelai *uetus codex Merulae Enni ann. fr. p. 53* || carmine aeque prisco *ci. Keilius* carmine eaque prisco *N* carmine eoque prisco: saucia *Putschius* carmine: ea quaé petísso saúcia, púera fília, súmam *ci. Lindemannus* carmine eo quoque prisco *ci. Ribbeckius trag. lat. rel. p. 199* || 8 summam *ω* Summani *Hermannus elem. doctr. metr. p. 639* Salmonei *O. Mueller suppl. Festi p. 388* || 9 Aelius Stilo *ω* aedilius cilo *N* ||

29 Leontion et Chrusion et Phanion ex neutris graecis feminina nostri fecere * * * et Plautus quod dixit haec Phronesium et Caecilius Leontium. Varroni autem placet talia nomina datiuo tantum casu et ablatiuo declinari, in ceteris uero sic efferri ut nominatiuo.

30 Palpetras per T Varro ad Ciceronem XIII dixit.

31 Varro ad Ciceronem XIII: oliuo et oxo putat fieri.

XIIII—XVI

32* Verba aut simplicia sunt aut coniuncta. simplicia sunt, quae unum quiddam significant, ut cum dicimus 'homo' 'equus' 'disputat' 'currit'. | itaque hoc includitur hac

Fleckeisen krit. Miscellen p. 13). Naeuius in II belli punici: 'prima incedit Cereris Proserpina puer'. Varro in satura quae inscribitur ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: 'grauidaque mater * * peperit Ioui puellum'.

29. Char. p. 104, 1: Leontion et . . . ut nominatiuo.

30. Char. p. 105: Palpetras per . . . dixit. sed Fabianus de animalibus primo palpebras per B. alii dicunt palpetras genas, palpebras autem ipsos pilos. Lactant. de opif. dei 10: ut oculi munitiores essent ab iniuria, eos ciliorum tegminibus occuluit, unde oculos dictos esse Varroni placet. nam et ipsae palpebrae, quibus mobilitas inest et palpitatio uocabulum tribuit, pilis in ordine stantibus uallatae septum oculis decentissimum praebent.

31. Char. p. 139, 15: Oxo. Varro . . . fieri inquit Plinius sermonis dubii libro VI.

32*. Augustin. de dialect. I ed. congr. S. Mauri XVI p. 36. ed. Crec. p. 5: Dialectica est bene disputandi scientia. disputamus autem utique uerbis. uerba igitur aut . . . disputat currit. nec mireris quod 'disputat', quamuis ex duobus compositum sit ta-

1 Leontion et thrusion et paunion *p* thyrusion et faunion *N* Chrysion et Phanion *Spengelius Caecil. Stat. fragm. p. 6, modo praestat* Chrusion || greci *N* || 2 neutra fecere *N* metra facta sunt *p* || *lacunam indicauit Keilius, cui excidisse uidentur quaedam quibus et de declinatione nominum graecorum dictum fuerit et alia exempla qualia praebeat Prisc. VI 24 p. 215, 18, posita erant* || 3 fronesium *N* || 4 in] de *N* || 7 oliuo et osso *ω* || 10 quiddam *BCD* quidem *P* ||

definitione, qua non includitur cum dicimus 'loquor'. quamuis enim unum uerbum sit, non habet tamen simplicem significationem, siquidem significat etiam personam quae loquitur. ideo iam obnoxium est ueritati aut falsitati, nam et negari et affirmari potest. omnis itaque prima et secunda persona uerbi quamuis singillatim enuntietur, tamen inter coniuncta uerba numerabitur, quia simplicem non habet significationem. | tertia persona uerbi semper inter simplicia numeratur et nondum aut affirmari aut negari potest, nisi cum talia uerba sunt, quibus necessario cohaeret personae significatio consuetudine loquendi, ut cum dicimus 'pluit' uel 'ninguit', etiam si non addatur quis pluat aut ninguat, tamen quia intellegitur non potest inter simplicia numerari.

men inter simplicia numeratum est. nam res definitione illustratur, dictum est enim id esse simplex quod unum quiddam significat. itaque hoc . . . habet significationem. siquidem quisquis dicit 'ambulo', et ambulationem facit intellegi et se ipsum qui ambulat, et quisquis dicit 'ambulas', similiter et rem quae fit et eum qui facit significat. at uero qui dicit 'ambulat' nihil aliud quam ipsam significat ambulationem, quamobrem tertia persona . . . proloquiorum summa. Mart. Cap. IIII 388 p. 117 sq. Gr.: Nomen est, quod aliquam rem significat et per casus flecti potest. uerbum est quod aliquid significat et per tempora flecti potest, ut 'Cicero' nomen, 'disputat' uerbum. haec ab inuicem separata non nihil quidem significant, uerum tamen uel falsum dici non possunt. cum autem fuerint coniuncta iam possunt et affirmari et negari, ut 'Cicero disputat', iam dici potest 'Cicero non disputat'. esse autem debet nominatiuus casus nominis, et tertia uerbi persona. prima persona significat aliquid, quod iam negari uel affirmari possit, et in hominem tantum cadit; in ea autem intellegitur nomen etiam si non dicatur, ut 'disputo' totum plenum est, etiam si non dicas 'ego'. item secunda persona et ipsa iam ueritati aut falsitati obnoxia est, sed etiam ipsa in hominem cadit, et ei nec recte dicimus 'disputas', qui nec audire nec intellegere quod dicitur potest. ergo et hoc cum dicatur sine nomine, tamen ibi nomen intellegitur. aliter figurate utimur siue prima siue secunda persona, ut aut loquentem eum inducas, qui loqui non potest, aut ad eum conuertamus orationem qui neque audire neque intellegere potest. tertia uero persona non ho-

10 quum *C* || sint *P* || coheret *C* || 12 uel ningit *B* uel ninguet *D* aut ninguit *P* || etiam si non addatur quis pluat aut ninguat *om.* *B* || pluiet *C* || 14 nũari *B* ||

Coniuncta uerba sunt quae sibi conexa res plures significant, ut cum dicimus 'homo ambulat' aut 'homo festinans in montem ambulat' et si quid tale. sed coniunctorum uerborum alia sunt quae sententiam compraehendunt, ut ea quae dicta sunt, alia quae expectant aliquid ad conpletionem sententiae, ut eadem ipsa quae nunc diximus, si subtrahas uerbum quod positum est 'ambulat'; quamuis enim uerba coniuncta sint 'homo festinans in montem', tamen adhuc pendet oratio. separatis igitur his coniunctis uerbis, quae non implent sententiam, restant ea uerba coniuncta, quae sententiam comprahendunt. horum item duae species sunt. aut enim sic sententia compraehenditur ut uero aut falso teneatur obnoxia, ut est 'omnis homo ambulat' aut 'omnis homo non ambulat' et si quid huiusmodi est. aut ita impletur sententia, ut licet perficiat propositum animi, affirmari tamen negariue non possit, ut cum imperamus cum optamus cum exsecramur et similia. nam quisquis dicit 'perge ad uillam' uel 'utinam pergat ad uillam'

minis tantum est, sed aliarum etiam rerum et simul ac dicta fuerit non continuo intellegitur, nisi forte de deo dicatur aliquid, quod de eo solo possit intellegi, ut cum dicimus 'pluit' iam potest esse uerum aut falsum, cum non addamus nomen, quia notum est qui pluit. cum uero dicimus 'disputat', cum aliquid iam significet, non tamen uerum aut falsum dici potest, si nomen non addatur. et quamuis de homine hoc tantum possit intellegi, quia non de uno dici potest, necessario subdendum est nomen. et 'resistit' cum dicimus, tertia uerbi persona est, exigit enim nomen non hominis tantum sed cuius libet quod resistere potest. prima igitur et secunda persona et de

1 connexa *C* || 5 dicta sunt expectant aliquid, ut eadem *BCDP in mg. add.* alia quae *C lacunam explendam esse eis quae male inrepserunt p. 165, 5 uidit Crecelius. ibi enim et* sententiam conpraehendunt *et* aliquid expectant *ex loco nostro repetuntur, quae cum reliquis* alia quae . . . ad conpletionem sententiae *in codicis cuiusdam margine scripta fuisse et alieno loco intrusa esse uidentur* || 7 ambulat *C om. BDP* || 9 a[h]duc *C* || 13 obnoxio *P* || 14 est *PDP* et *C* || 15 ita *BC* itaque *DP* || 17 exsecramus *BP* execramus *D* || quisquis *BDP* si quis *C* || 18 dicit *BDP* dicat *C* || uillam *BDC* illam *P* ||

uel 'di illum perduint', non potest argui quod mentiatur aut credi quod uerum dicat. nihil enim affirmauit aut negauit, ergo nec tales sententiae in quaestionem ueniunt, ut disputatorem requirant.

Sed illae quae requirunt aut simplices sunt aut coniunctae. simplices sunt, quae sine ulla copulatione sententiae alterius enuntiantur, ut est illud quod dicimus 'omnis homo ambulat'. coniunctae sunt de quarum copulatione iudicatur, ut est 'si ambulat mouetur'. sed cum de coniunctione sententiarum iudicium fit, tamdiu est donec perueniatur ad summam. summa est autem quae conficitur ex concessis. quod dico tale est: qui dicit 'si ambulat mouetur' probare uult aliquid, ut cum hoc concessero uerum esse restet illi docere, quod ambulet, et summa consequa-

homine tantum possunt intellegi et solae dictae possunt aut uerae aut falsae dici, quia cum his etiam nomina intelleguntur. tertia uero et non omnis sola dici potest et non de solo homine intellegitur. quod ergo fuerit ex nominatiuo casu nominis et tertia uerbi persona coniunctum, proloquium dicitur, ita ut iam necessario aut uerum sit aut falsum aut dubium. namque 'homo animal est' omnes iudicamus uerum esse, et 'omne animal homo est' omnes iudicamus falsum. 'ille disputat', quamuis necessario aut disputet aut non disputet, nobis tamen dubium est, alterum enim (*sic ci. Vsener pro* alterum, nihil) horum intellegimus necessarium esse, sed quid horum sit nescimus. ubi uero illa uerba sunt, quae impersonalia dicuntur, non ex nominatiuo casu impletur sententia, sed alios casus recipit, ut 'disputatur' cum dicitur, plena sententia est, si ablatiuum adiungas, hoc est 'a Cicerone', et 'poenitet' cum dicitur plena sententia est, si accusatiuum adiungas, id est 'Ciceronem' et sunt multa alia. illud tamen constat, personalia uerba non implere sententiam, nisi cum nominatiuo casu et tertia uerbi persona. sunt etiam sententiae, quae quamuis constent ex nomine et uerbo, affirmari tamen aut negari non possunt, quae non proloquia, sed eloquia dicere nonnullis placuit, ut est modus imperatiuus. cum dicimus 'Aiax curre', iam plena sententia est, nam nec solum intellegi sed etiam fieri potest quod dicimus (*libri* dicis), negari tamen

1 uel dii *BDC* aut dii *P* || perduint *D* perd^{u}ant *B* perdant *C* perdunt *P* || 2 dicit *BDP* || affirmabit *C* || negabit *C* || 3 tales sententiae nec *P* || questionem *C* || 6 sunt quae] sunt *om. B* || 7 ut est illud quod dicimus omnis homo ambulat *om. P* || 9 coniuntione *C* || 10 tandiu *B* || 11 summam] summa *P* || 13 hoc non concessero *BDP* non *erasum in C* || 14 docere quod non mouetur ambulet *deletis uerbis* quod non mouetur *B* ||

tur, quae iam negari non potest, id est quod mouetur, aut restet illi docere, quod non mouetur, ut consequatur summa, quae item non potest non concedi, id est quod non ambulet. rursus si hoc modo uelit dicere 'homo iste ambulat', simplex sententia est, quam si concessero et adiunxerit aliam 'quisquis autem ambulat mouetur', et hanc etiam concessero, ex hac coniunctione sententiarum quamuis singillatim enuntiatarum et concessarum illa summa sequitur, quae iam necessario concedatur, id est: homo iste igitur mouetur.

non potest, non enim hoc negat, qui dixerit 'noli currere'. hoc enim non est aduersum ei quod dictum est 'curre', ut hoc sit uerum illud falsum, ut possit nasci quaestio. nam de aientia et negatione quaestio sine dubio nascitur, ut 'ille currit ille non currit' quaestio est, utrum currat an non. 'curre' autem et 'non curre' non facit quaestionem, utrum currat. nulla quidem quaestio hic potest intellegi utrum currere debeat an non. hoc enim ex aientia et negatione natum est, ut 'currere debet' et 'currere non debet'. hoc facit et optatiuus modus. cum enim plena sit sententia cum dicimus 'utinam scribam' et 'utinam non scribam', non potest hinc nasci quaestio, utrum scribam an non: sed pleraque talia sunt, haec ad exemplum sufficiant. quod ergo fuerit iunctum ex nomine et uerbo, si plenum nomen et plenum uerbum sit, necessario facit sententiam, sed non necessario facit proloquium. si enim est, quod iam est, affirmari et negari potest, et supra diximus multa dici plena sententia, quae tamen affirmari et negari non possint. plenum igitur proloquium est 'omnis homo animal est', et quamuis natura illud exigat, ut primo nomen et postea uerbum dicatur, ut dictum est, non desinit uerum esse proloquium etiam si dicas 'animal est omnis homo'. IIII 338 p. 97 Gr.: Quippe in ditione mea (***dialectica loquitur***) iure-

1 est quod mouetur] est *om.* *P* || ut restet *C* || 3 non concedi] non *add. inter lineas in* *C* || est quod non] est *om.* *P* || 5 concessero et alia quae aliquid expectant ad conplectionem sententiae sententiam compraehendunt adiunxerat aliam *B* concessero alium et aliam quae aliquid expectant ad completionem sententiae sententiam conprehendunt; adiunxerit aliam *C* concessero et alia quae aliquid expectant ad conpletionem sententiae sententiam conpraehendunt Adiunxerit aliam *D* concessero et alia quae aliquid exspectant ad complectionem sententiae sententiam comprehendunt Adiunxerit aliam *P* *cf. adnot. ad p. 163, 5* || 7 sententia[rum] *in fine uersus* *P* || 8 concearum *B* || 9 conceditur *C* concedit *in fine uersus* *P* ||

His breuiter constitutis singulas partes consideremus. nam sunt primae duae, una de his quae simpliciter dicuntur ubi est quasi materia dialecticae, altera de his quae coniuncta dicuntur, ubi iam quasi opus apparet. quae de simplicibus est uocatur de loquendo. illa uero quae de coniunctis est, in tres partes diuiditur. separata enim coniunctione uerborum quae non implet sententiam, illa quae sic implet sententiam, ut nondum faciat quaestionem uel disputatorem requirat, uocatur de eloquendo. illa quae sic implet sententiam, ut de sententiis simplicibus iudicetur, uocatur de proloquendo. illa quae sic compraehendit sententiam, ut de ipsa etiam copulatione iudicetur, donec perueniatur ad summam uocatur de proloquiorum summa.

XVIII

33 Quibus nos in hoc libro proinde ut nihil intersit utemur indiscriminatim.

que consistunt sex normae, quis constant ceterae disciplinae. nam prima est de loquendo, secunda de eloquendo, tertia de proloquendo, quarta de proloquiorum summa, quinta de iudicando quae pertinet ad iudicationem poetarum et carminum, sexta de dicendo quae (*libri* quae dicenda) rhetoribus commodata est. in prima autem parte quaeritur quid sit genus, quid forma, quid differentia, quid accidens, quid uero proprium, quid definitio, quid totum, quid pars, qui in diuidendo modus, qui in partiendo, quid sit aequiuocum, quid uniuocum, quid (ut ita dicam) pluriuocum ... in secunda uero, quam de eloquendo diximus, quaeritur, quid sit nomen, quid uerbum, quid ex his iunctum, quae ex his subiectiua pars sententiae sit, quae declaratiua, qui subiectiuae modus sit, qui declaratiuae, quatenus nomen accipiatur, quatenus uerbum, quatenus sit perfecta sententia ut possit esse proloquium. excipit hanc pars tertia de proloquendo. in ea quaeritur, ... quae sint differentiae proloquiorum in quantitate, quae in qualitate, quid uniuersale sit, quid particulare, quid indefinitum, quae sint aientia, quae negantia, quam uim habeant singula, et quemadmodum inter se affecta sint. hinc progeditur ad quartam partem, quam esse diximus de proloquiorum summa. in ea quaeritur, quid sit sumptum, quid illatio, quid syllogismus, quid symperasma e. q. s.

33. Non. p. 127: Indiscriminatim indifferenter. Varro de lin-

2 primae duae *CDP* primae et duae *B* || 3 dialecticae *C* || 5 est *om. P* || 7 illa quae sic implet sententiam *om. B* || sic] sit *D* || 9 uocatur *B* uocatur *om. P* || 15 intussit *cod. Guelferb. Gud. 103* ||

XXII

34 Rure ueni.

XXIII

35 Ingluuies sunt tori circa gulam qui propter pinguedinem fiunt atque interiectas habent rugas.

XXIIII

36 (ἀξιώματα) M. Varro alias profata alias proloquia appellat.

M. Varro de lingua latina ad Ciceronem quarto uicesimo expeditissime ita finit: proloquium est sententia in qua nihil desideratur. Erit autem planius quid istud sit,

gua latina libro XVIII: q u i b u s n o s . . . i n d i s c r i m i n a t i m, p r o m i s c e.

34. Char. p. 142, 18: Rure Terentius in Eunucho (*V* 5, *1*) 'ex meo propinquo rure hoc capio commodi'. itaque et Varro ad Ciceronem XXII r u r e u e n i. *cf.* fr. 19.

35. Philarg. ad Verg. georg. III 433: Varro ad Ciceronem in libro XXIII: i n g l u u i e s inquit s u n t . . . h a b e n t r u g a s. sed nunc pro gula positum.

36. Gell. XVI 8: Cum in disciplinas dialecticas induci atque imbui uellemus, necessus fuit adire atque cognoscere quas uocant dialectici εἰσαγωγάς. tum, quia in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum, quae M. V a r r o . . . a p p e l l a t, commentarium de proloquiis L. Aelii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quaesiuimus eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque uidetur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia. redimus igitur necessario ad graecos libros ex quibus accepimus ἀξίωμα esse his uerbis: λεκτὸν αὐτοτελὲς ἀπόφαντον ὅσον ἐφ' αὑτῷ. hoc ego supersedi uertere, quia nouis et inconditis uocibus utendum fuit, quas pati aures per insolentiam uix possent. sed

4 ingluuies inquit sunt tori *Vrsinus Daniel* ingluuies tori inquit sunt *Lion* || 7 *Gelli codices librorum VIIII—XX quibus usus sum sunt hi: V = cod. Lugd. Voss. F. 7 saec. fere XIII iudice Martino Hertz ber. d. berl. acad. 1847 p. 412, quem ipse contuli L = cod. Lugd. Voss. F. 112 saec. X iudice Hertzio cuius lectiones Lucianus Mueller mecum communicauit* || 9 ad ceronem *L* || XXIIII *L* || 11 nichil *VL* ||

si exemplum eius dixerimus. ἀξίωμα igitur siue id proloquium dicere placet, huiuscemodi est 'Hannibal Poenus fuit', 'Scipio Numantiam deleuit', 'Milo caedis dampnatus est', 'neque bonum est uoluptas neque malum'. et omnino quicquid ita dicitur plena atque perfecta uerborum sententia, ut id necesse sit aut uerum aut falsum esse, id a dialecticis ἀξίωμα appellatum est, a M. Varrone sicuti dixi proloquium.

Sed quod graeci συνημμένον ἀξίωμα dicunt, alii nostrorum adiunctum, alii conexum dixerunt. id conexum tale est 'si Plato ambulat, Plato mouetur'; 'si dies est, sol super terras est'. item quod illi συμπεπλεγμένον, nos uel coniunctum uel copulatum dicimus, quod est huiusmodi: P. Scipio Pauli filius et bis consul fuit et triumphauit et censura functus est et conlega in censura L. Mummi fuit. in omni autem coniuncto si unum est mendacium, etiamsi cetera uera sunt, totum esse mendacium dicitur. nam si ad ea omnia, quae de Scipione illo uera dixi, addidero 'et Hannibalem in Africa superauit', quod est falsum, uniuersa quoque illa quae coniuncte dicta sunt propter hoc unum quod falsum accesserit, quia simul dicentur, uera non erunt. est item aliud, quod graeci διεζευγμένον ἀξίωμα,

M. Varro ... dixi proloquium, a M. autem Cicerone (*disp. tusc.* 17, 14) pronuntiatum, quo ille tamen uocabulo tantisper uti se attestatus est, 'quoad melius' inquit 'inuenero'. sed quod graeci ... neque currere. Apul. de dogm. Plat. III p. 265 Oudend.: est una inter has ad propositum potissima, quae pronuntiabilis ap-

1 *αzιωμα* *V* || 2 huiusmodi *L* || penus *V* || 3 nummantiam *V* numanciam *L* || cedis dapnatus *V* || 5 ″dicitur ″ita *V* || 6 aut uerum] an uerum *V* || 7 *αzιωμα* *V* || 9 greci *VL* || CYNHμιμενο ἀzιωμα *V om. L* || dicunt id alii *L* || 10 connexum *V* || cõnexum *V* || 11 ambulat Plato *ab alia manu suprascr. in L* || 12 CYμπεπαετμενον *V om. L* || 13 eiusdemmodi *VL* eiusmodi *uolgo* || 15 collega *V* || Mummi] mími″ *V* || 16 mendatium *bis V* || 18 omnia que *V* || 20 illa que *V* || 22 istitem *V* || greci *ubique VL* || MEzειτ MENONαξιωμα *V om. L* ||

nos disiunctum dicimus. id huiuscemodi est: 'aut malum est uoluptas aut bonum aut neque malum neque bonum est'. omnia autem quae disiunguntur, pugnantia esse inter sese oportet, eorumque opposita, quae ἀντικείμενα graeci dicunt, ea quoque ipsa inter se aduersa esse. ex omnibus, quae disiunguntur unum esse uerum debet, falsa cetera. quodsi aut nihil omnium uerum aut omnia pluraue quam unum uera erunt aut quae disiuncta sunt non pugnabunt aut quae opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt, tum id disiunctum mendacium est et appellatur παραδιεζευγμένον sicuti hoc est, in quo quae opposita non sunt contraria: 'aut curris aut ambulas aut stas'. nam ipsa quidem inter sese aduersa sunt sed opposita eorum non pugnant, non ambulare enim et non stare et non currere contraria inter sese non sunt, quoniam contraria ea dicuntur, quae simul uera esse non queunt. possis enim simul eodemque tempore neque ambulare neque stare neque currere.

37 Cum indidem haurierint.

* * *

pellatur, absolutam sententiam comprehendens, sola ex omnibus ueritati aut falsitati obnoxia, quam uocat Sergius effatum, Varro proloquium, Cicero enuntiatum, graeci πρότασιν, tum ἀξίωμα.

37. Prisc. X 50 p. 540, 3: Haurio hausi, inuenitur tamen etiam hauriui uel haurii. Varro in XXIIII ad Ciceronem: cum . . haurierint.

ce
1 huiusmodi *V* || 2 neque bonum neque malum *L* || 3 diiunguntur *V* || 4 opposita que *V* || 6 diiunguntur *V* || 7 aut nichil *V* autem nihil *L* || 8 erunt aut que *VL* || disiuncta *V* adiuncta *L* || 9 que opposita *VL* || sunt *om.* *L* || se *V* || 11 παρα-αιεzεγτμενον *V* quo que *VL* || 13 sunt sed] ſed *L* || 15 contraria inter sese non sunt quoniam *om.* *L* || contrarie dicuntur *V* || 16 que simul *VL* || 17 tempe *V* || 19 Varro in XXIII. *GL* ||
i
haurierunt *Rr* haurierunt *L* ||

38 In summa constructionis eius caput collocauit, in quo esset regimen totius animantis, datumque illi hoc nomen est, ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc capiant initium sensus ac nerui.

39 Varro de lingua latina alam culmum fabae dicit.

40 De fenestella quiritatur.

DE SERMONE LATINO AD MARCELLVM LIBRI V

I

41* Latinitas est incorrupte loquendi obseruatio secundum romanam linguam. constat autem, ut adserit Varro, his

38. Lactant. de opif. dei 5, 6: In summa uero constructionis eius, quam similem nauis carinae diximus, caput . . . ac nerui.

39. Seru. ad Verg. georg. I 75: Nonnulli proprie culmos lupinorum alas dici putant, ut Aelius 'alae ex lupino, surculi sine foliis', Cato in Originibus 'alae ex lupino lugium * * tamen Varro de . . . dicit.

40. Diom. p. 381, 22: Solent in uerbis etiam peritiores errare, incerti utrum cum R an sine R debeant proferri. quirito. Liuius in attico: quirit, Varro ad Ciceronem: de . . . quiritatur. est autem quiritare Quirites ciere.

41. Diom. p. 439, 15: Latinitas est . . . scientium. Char. p. 50, 16: Latinus sermo cum ipso homine ciuitatis suae natus significandis intellegundisque quae diceret praestitit (praesto fuit *Vsener*). sed postquam plane superuenientibus saeculis accepit artifices et solertiae nostrae obseruationibus captus est, paucis admodum partibus orationis normae suae dissentientibus, regendum se regulae tradidit et illam loquendi licentiam seruituti rationis

5 *Varronis uerba teste Thilone non occurrunt nisi in cod. Leidensi 80, ubi haec legi possunt* Varro de lingua latina alam . ulm . . fab . . . || dicit *Burmannus* dicere *Daniel* || 6 quirit * Varro ad Ciceronem * Fenestella quiritatur *Keilius qui asteriscis lacunas quibus Liui et Varronis exempla periisse ei uidentur indicauit* de fenestella *Mercklinus Philol. III p. 151. I. Poethius de Fenestella diss. Bonn. 1849 p. 6* || 11 his *om. BM* ||

quattuor: natura analogia consuetudine auctoritate. natura uerborum omnium, quae inmutabilis est, non quicquam aut minus aut plus tradidit nobis, quam quod accepit. nam si quis dicat scrimbo quod est scribo, non analogiae uirtute sed naturae ipsius constitutione conuincitur. analogia sermonis a natura proditi ordinatio est secundum technicos neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat. consuetudo non ratione analogiae sed uiribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione conualuit, ita tamen ut illi artis ratio non accedat sed indulgeat. nam ea e medio loquendi usu placita adsumere consueuit. auctoritas in regula loquendi nouissima est. namque ubi omnia defecerint, sic ad illam, quem ad modum ad ancoram decurritur. non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet, cum

addixit. quae ratio adeo cum ipsa loquella generata (congenerata *Vsener*) est, ut hodie nihil de suo analogia inferat. ea enim quae ad explicandam elocutionem iam apud sensus nostros educta sunt a confusione uniuersitatis disseminauit et a disparibus paria coaluit. adprobatur autem defectionis regula argumento similium. constat ergo latinus sermo natura analogia consuetudine auctoritate. natura uerborum (alias uerborum omnium *in mg. N*) nominumque inmutabilis est nec quicquam aut plus aut minus tradidit nobis quam quod accepit. nam si quis dicat scrimbo pro eo quod est scribo, non analogiae uirtute sed naturae ipsius constitutione conuincitur. analogia sermonis a natura proditi ordinatio est neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat... consuetudo non arte analogiae sed uiribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione conualuit, ita tamen ut illi ratio non accedat sed indulgeat. auctoritas in regula loquendi nouissima est. namque ubi omnia defecerint, sic ad illam quem ad modum ad aram sacram decurritur. non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet, tantum opinione auctorum recepta est, qui et ipsi cur id secuti essent si fuissent interrogati nescire confi-

2 omnium quae B omniumque *AM* omnium *mg. codicis Charisi* (*cf. testimonia*) nominumque *Charisius Putschius Keilius* || inmutabili ne quicquam *ABM* inmutabilis est nec quicquam *Charisium secutus Keilius* || 3 traditur B || quo accipitur *M* || 6 a *om. M* || thechinicos *M* technos *B* || 7 erudit͝ *M* erudit *AB* || 9 par *B* pars *AM* || 10 consessione *AM* consesione *B* || 14 anchoram *BM* anachortam *A* aram *Varro ipse scripserit cf. Char. l. s.* ||

tantum opinione secundum ueterum lectionem recepta sit nec ipsorum tamen, si interrogentur cur id secuti sunt, scientium.

42* Vox est, ut stoicis uidetur, spiritus tenuis auditu sensibilis, quantum in ipso est. fit autem uel exilis aurae pulsu uel uerberati aeris ictu. omnis uox aut articulata est, aut confusa. articulata est rationali hominum loquellis explanata. eadem et litteralis uel scriptilis appellatur, quia

terentur. ex his ergo omnibus consuetudo non haec uulgaris nec sordida recipienda est, sed quae horridiorem rationem sono blandiore depellat. interdum enim utilibus iucunda gratiora sunt. Quint. inst. orat. I 6, 1: 'sermo constat ratione uetustate auctoritate consuetudine. rationem praestat praecipue analogia, nonnumquam et etymologia. uetera maiestas quaedam, et ut sic dixerim religio commendat. auctoritas ab oratoribus uel historicis peti solet; nam poetas metri necessitas excusat. . . . cum summorum in eloquentia uirorum iudicium pro ratione et uelut error honestus est magnos duces sequentibus. consuetudo uero certissima loquendi magistra, utendumque plane sermone ut nummo, cui publica forma est. *cf.* VIIII 3, 3. Max. Vict. p. 272 Lind. p. 1938 P.: latinitas est obseruatio incorrupte loquendi secundum romanam linguam. constat autem tribus modis: ratione auctoritate consuetudine; ratione secundum technicos id est artium traditores; auctoritate, ueterum scilicet lectionum; consuetudine eorum quae in medio (*sic cod. Bern. teste Keilio ad Diomedis uerba supra scripta* modo *edit.*) loquendi usu placita assumptaque sunt. Augustin. art. 1 p. 167 Mai. nou. bibl. patr. I 2. p. 7 Web.: latinitas est obseruatio incorrupte loquendi secundum romanam linguam. constat autem modis tribus id est ratione auctoritate consuetudine; ratione secundum artem; auctoritate secundum eorum scripta, quibus ipsa est auctoritas adtributa; consuetudine secundum ea quae loquendi usu placita adsumptaque sunt. *cf.* Prob. inst. art. p. 47, 19.

42*. Diom. p. 420, 9: Vox est . . . tauri mugitus. Max. Vict. p. 272 Lind. p. 1939 P.: uox est aer ictus sensibilis, qui auditur quantum in ipso est. uocis uero species sunt duae, articulata et confusa. articulata quae hominum tantum est, unde articulata dicta est, quod articulo scribentis comprehendi possit. confusa, quae scribi non potest, ueluti ouium balatus, equi hinnitus, bouis mugitus et aliae nonnullae uoces sunt. *cf.* Mar. Vict. I 2, 1 p. 2451 P. Priscian. I 1 p. 5, 2: philosophi definiunt uocem esse aerem tenuissimum ictum uel suum sensibile aurium id est quod proprie auribus accidit. et est prior definitio a substantia sumpta, altera uero a notione, quam

4 audito *A* || 5 exillis *A* exillis *corr. a manu alia in* exilis *M* || 8 et *om. BM* || scriptilis *A* scribalis *M* scripturalis *B* ||

litteris conprehendi potest. confusa est inrationalis uel inscriptilis, simplici uocis sono animalium effecta, quae scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugitus.

43 Lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus, et si qua similia sunt, quo modo scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradit Caesarem per I eiusmodi uerba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem uiri consuetudinem factam.

graeci ἔννοιαν dicunt, hoc est ab accidentibus. accidit enim uoci auditus, quantum in ipsa est. uocis autem differentiae sunt quattuor: articulata inarticulata litterata illitterata articulata est, quae coartata hoc est copulata cum aliquo sensu mentis eius qui loquitur profertur, inarticulata est contraria quae a nullo affectu proficiscitur mentis. litterata est, quae scribi potest, illitterata quae scribi non potest. *cf.* Donat. I 1, 1 p. 1735 P. Prob. inst. art. p. 47, 1. Pomp. comm. art. Don. I 7 p. 10 Lind. Audax in Mai class. auct. II p. 589.

43. Cassiodori Annaeus Corn. p. 2284 P. p. 576^{A} Garet.: Lacrumae an ... consuetudinem factam. sed ego in antiquiorum libris multo quam Gaius Caesar est per V pleraque scripta inuenio, optumus intumus pulcherrumus lubido dicundum faciundum maxume monumentum contumelia minume. melius tamen est et ad enuntiandum et ad scribendum I litteram pro V ponere, in quod iam consuetudo inclinauit. Isid. orig. I 26, 15: Maximus an maxumus et si qua sunt similia qualiter scribenda sunt quaesitum est. Varro tradidit Caesarem per I eiusmodi uerba enuntiare solitum esse et scribere. inde per auctoritatem tanti uiri consuetudinem factam, ut maximus optimus pessimus scribatur. Quint. I 7, 21: etiam optimus maximus, ut mediam I litteram, quae ueteribus V fuerat acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum. Vel. Long. p. 2228 P: antiquis uarie etiam scriptitatum est mancupium ancupium manubiae. siquidem C. Caesar per I scripsit, ut apparet ex titulis ipsius, at Augustus [I per] V, ut testes sunt eius inscriptiones. et qui per I scribunt, illam rationem secuntur, quod aliae quoque denominationes per eandem litteram exeant, ut cum manicas maniculum (quibus nomen apponi potest, quod per V manuleus) dicimus. item qui aucupium per V scribunt, putant ab aue occupanda dictum, qui aucipium (aut quia aucupium *P.*) ab aue capienda, cum A litterae in I familiaris transitus sit. quibus aeque opponi potest, non minus in I transire quam in V, nam ab amico fit inimicus, et a salso insulsus. sequitur igitur electio, utrumne per antiquum so-

2 inscriptulis *B* || 3 *Cassiodori codices Keili sunt: A* = *cod. Bern. 330 saec. X B* = *cod. Paris 7495 (olim 5509, 1) 'Claudii Puteani' membr. 4. saec. XIII* || 4 si qua *A* si $\overset{a}{q}$ *B* || 5 debent *AB* || 7 auctoritatem tanti uiri *Putschius* ||

44 Lucilius ubi I exile est per se iubet scribi, at ubi plenum est praeponendum esse E credit, his uersibus:

Meille hominum, duo meillia; item huice utroque opus, meiles,
Meilitiam. tenues I: pilam qua lusimus, pilum
Quo pinso, tenues I. plura haec feceris: peila
Quae iacimus, addes E, peila, ut plenius fiat.

num, qui est pinguissimus et V litteram occupabat, uelit quis enuntiare, an per hunc, qui iam uidetur elegantior, exilius id est per I litteram has proferat uoces, in quibus V littera uidetur esse superuacua. *cf.* p. 2235.

44. Terent. Scaur. p. 2255 P.: Primum igitur per adiectionem illa uidentur esse uitiosa, quod Attius geminatis uocalibus scribi natura longas syllbas uoluit, cum alioqui adiecto uel sublato apice, longitudinis et breuitatis nota, posset ostendi. nam singulares uocales et produci et corripi possunt, unde etiam Lucilius in VIIII saturarum de orthographia praecipiens ait . . . item quod L u c i l i u s, u b i . . . r e g u l a c o r r i g a n t u r. Quint. I 7,14: semiuocales geminare diu non fuit usitatissimi moris atque e contrario usque ad Attium et ultra porrectas syllabas geminis ... uocalibus scripserunt. diutius durauit, ut EI iungendis eadem ratione qua graeci *EI* uterentur. ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius praecipit: 'iam puerei uenere, E postremum facito atque I, ut pueri plures fiant', ac deinceps idem: 'mendaci furique addes E cum dare furei iusseris'. quod quidem cum superuacuum est, quia I tam longae quam breuis naturam habet, tum incommodum aliquando. nam in eis, quae proximam ab ultima litteram E habebunt et I longa terminabuntur, illam rationem sequentes utemur E gemina, qualia sunt haec: aurei argentei et his similia. idque eis praecipue, qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit, sicut in graecis accidit adiectione I litterae, quam non solum datiuis casibus in parte ultima ascribunt sed quibusdam etiam interponunt, ut in *ΛΗΙΣΤΗΙ,* quia etymologia ex diuisione in tris syllabas facta desideret eam litteram. Vel. Long. p. 2220 P.: hic quaeritur etiam, an per E et I quaedam debeant scribi secundum consuetudinem graecam. nonnulli enim ea quae producerentur sic scripserunt. alii contenti fuerunt huic productioni *I* longam ut (*sic Vsener pro* longam aut) notam dedisse. alii uero quorum est item Lucilius uarie scriptitauerunt, siquidem in his quae producerentur, alia per I longam, alia per E et I notauerunt, uidelicet ut differentia quadam separantes, ut cum diceremus 'uiri', si essent plures, per E et I scriberemus, si uero esset unus, 'uiri' per I notaremus. et Lucilius in VIIII: 'iam puerei uenere, E postremum fa-

1 *Scauri cod. Bernensis 330 saec. X* = *B* || 2 esse credit *B* || 3 mille hominum ·II· *B* || huce utroque opus mille *B* huic EI utroque *coni. Vsener* || 5 militiam *B* || pilam in qua *B* || 6 quo ipse tenues si *B* pila *B* || 7 qua iacimus adee. pella ut plenus fiat *B* ||

quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diuersa uia delabitur, dicens in plurali quidem numero, debere I litterae E praeponi, in singulari uero minime, cum alioqui et non aliud in singulari, quam in plurali extrema syllaba sonet et * * *, ut in uerbis manifestum est. dicimus enim mitto misi misimus. nisi aliam hic uult esse rationem [quod absurdum est], ut cum uerba quoque ex syllabis constent, at diuersa regula corrigantur.

45 Mium et commircium per I antiquis relinquamus, apud quos aeque et Mircurius per I dicebatur, quod mirandarum esset rerum inuentor, ut Varro dicit. | item miis per I, non meis per E ut Terentius: at enim istoc nihil magis Syre miis nuptiis aduorsum.

cito atque I, ut plures faciant, I si facis solum pupilli. pueri hoc unius fiet'. item 'hoc illi factum est uni, tenue hoc facies I. haec illei fecere, adde E, ut pinguius fiat'. idemque peila quibus milites utuntur, per E et I scribenda existimat, at pilum quo pinsitur (pila qua pinsatur *P.*) per I. hoc mihi uidetur superuacaneae esse obseruationis, nam si omnino in scribendo discernenda casuum numerorumque ambiguitas est, quid faciemus in his nominibus, quorum scriptio discrimen non admittit? Mar. Vict. I 4, 60 p. 2464 P: omnes qui de orthographia scripserunt de nulla scriptura tam diu, quam diu de hac quaerunt, quae per I litteram singularem genetiuum, et quae per EI litteras nominatiuum pluralem faciunt, locuti partim acute, partim (partim *add. Wachsmuth*), ut mihi quidem uidetur, inepte: (uidetur. inepte *libri*) illud [atque *om. Par.*] etiam ridicule * *, nam mihi quaedam succurrunt: pilum aiunt militare et uinea, si sit supra quam milites aggerem instituunt, et sicam [et silicem] quae secet per E et I scribenda, at si pilum sit quo pinsitores utuntur et uinea quae ruri colitur et fistula per I. *cf.* ibid. §. 59.

45. Vel. Long. p. 2236 P.: Namque mium et commircium quoque per . . . Varro dicit. nostris iam auribus *secus placet* (*add. Ritschelius l. s.*), scilicet per E, ut et (*Ritschelius* et ut *cod.*) Mercurius et commercia dicantur. item miis . . . aduorsum.

2 dilabitur *B* || 3 litere̜ (.i.) praeponi *B totum hoc fragmentum Vsener correxit, ego p. 91 n. erraui* || uero minime cum alioqui & non aliunde in singulari *B* || 5 plurali *om. B* || sonat *B* || et ***] *add. Vs.* || 6 mitto emisimus *libri* || 7 ut *add. B* || 8 constant *B* || et *libri* || 9 *Veli Longi cod. Vaticanus 3402 saec. XVI* = *V* nam que̜ nimium et commercium *V* || reliquamus *V* || 10 mercirius *V* || 11 ut *Ritschelius quaest. Varr. p. 29* et *V* || 12 Terentius *Heaut. IIII 3, 21* ||

46 Est quaedam littera in F litterae speciem figurata, quae digamma nominatur, quae duos apices ex gamma littera habere uidetur. ad huius similitudinem soni nostri coniunctas uocales digammon appellare uoluerunt, ut est uotum uirgo. itaque in prima syllaba digamma et uocalem oportuit poni: Fotum Firgo, quod et Aeolii fecerunt et antiqui nostri, sicut scriptura in quibusdam libellis declarat. hanc litteram Terentius Varro dum uult demonstrare ita perscribit: VAV.

46. Cassiodori Cornut. p. 2282 P. Est quaedam . . . perscribit: VAV. Prisc. I 20 p. 15, 1: V loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus uim habuit apud Latinos quam apud Aeolis digamma. unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim F digamma id est uau, ab ipsius uoce profectum teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendunt. *cf.* I 10 p. 11, 5. Quint. XII 10, 29: Aeolicae quoque litterae qua seruum ceruumque dicimus, etiamsi forma a nobis repudiata est, uis tamen nos ipsa persequitur. *cf.* I 4, 7. Scaur. p. 2254 P.: Vau littera omnibus uocalibus et praeiectiua et subiecta consentit ut ua ue ui uo, et rursus au eu iu ou. est enim posita pro digamma, quod quidam graecorum etiam uau appellant. Vel. Long. p. 2223: et priusquam de hoc loquamur, V litteram digamma esse interdum non tantum in his debemus animaduuertere, in quibus sonat cum aliqua aspiratione, ut in ualente et uitulo et primitiuo et genetiuo, sed etiam in his quibus confusa haec littera est, *ut* in eo quod est quis. Mar. Vict. I 4, 43 p. 2461 P.: uos nominatiuo singulari per duo V, quorum uice consonantis fungitur alterum, alterum accipitur pro uocali, nam per V et O scriptae significant pluralem numerum et casum accusatiuum: auos flauos coruos et horum similia . . . attamen has etiam uoces, quae V potius quam O sonant, per duo V scribite, ut uulua uultus et similia, sicuti sine ulla dubitatione per V et O, quae sonant ita ut uoluit uoluo uolutus conuolutus, nam littera V uocalis est sicut A E I O, sed eadem uicem obtinet consonantis, cuius potestatis notam graeci habent F, nostri uau uocant et illi (alii *Putsch. Gaisf.*) digamma. ea per se scripta non facit syllabam, anteposita autem uocali facit ut ϝάμαξα ϝεκηβόλος et ϝελένη. nos uero, qui non habemus huius uocis nomen aut notam, in eius locum quotiens una uocalis pluresue iunctae unam syllabam faciunt, substituimus V litteram, nam uocalis nulla bis eadem posita facit unam syllabam: assiduus exiguus Laocoon tribuunt statuunt et similia. at cum prae-

1 *de codd. uide adnot. ad fr. 43* speciem *add. m. rec. in mg. B* || 3 uideatur *A* || 6 quae (qua *cod. Bern. 243*) et Aeoli *AB* || 7 nostri] non *A om. B* || 8 terentius usu raro *AB* || 9 perscribit *A* || VAV *Ritschelius l. s. p. 27* ua *AB* ||

47 Non caret quaestione etiam plebs et urbs et Pelops, quae Varro ita distinguit ut per B et S ea nominatiuo casu putet esse scribenda, quae eandem litteram genetiuo reddant ut plebs plebis urbs urbis, ea uero per PS, quae similiter genetiuo eiusdem numeri in PIS excurrant ut Pelops Pelopis.

ponitur uocali, tunc accipitur pro consonanti, ut est anguis extinguit lingua peluis, in 'uuido' enim prior V uocalis est, sequens cui subiecta est I consonans. *cf.* Diom. p. 422, 19. 425, 32. Donat. I 2, 1 p. 1735. Pomp. comm. art. Don. I 73 p. 21 Lind. Serg. p. 1827 P. Cledon. p. 1882. Donat. ad Terent. Andr. I 2, 2. Beda p. 2335.

47. Ter. Scaur. p. 2261: Quaesitum est hiemps utrum per PS an per MS deberet scribi, cum alioqui dubium non sit, quin per MS scribenda sit, quoniam genetiuo hiemis faciat et quoniam per P et S ea scribantur, quae apud graecos *in* Ψ desinunt. hanc autem non in Ψ desinere manifestum est ex eo quod quae illa littera terminantur aut in πος ut Πέλοψ Πέλοπος aut in βος desinunt, ut φλέψ φλεβός, hiems autem neutram harum syllabarum recipit. item non constat, obscurum utrum *per* OB an per OP debeat scribi, nec minus obseruo obsido, cum in illis B littera euidenter sonum suum uindicet. non caret ... Pelops Pelopis. sed nobis utrumque per PS uidetur esse scribendum, quoniam ex his Ψ littera constet, quam genetiuo diximus aut in BIS aut in PIS exire. Cassiodori Papirian. p. 2291 P. p. 578B Garet.: traps ab eo quod dicitur trabis et urps per P debent scribi, licet Varro per B scribenda putet, quod in reliquis casibus B habeant. sed tamen cum Ψ littera graeca nullo modo transferri potuerit in usum nostrum et uis eius per P et S litteras scribatur, necessarium est, ut ubi Ψ graecum sonat, apud nos quod uitari non potest per has litteras scribatur id est P et S, licet in obliquis casibus B habeant, ut caeleps caelibis, urps urbis, item in aliis ipsam retineant, ut auceps aucupis. unde apparet in his casibus mutare nos debere P in B, in quibus se etiam ambae consecuntur interposita uocali. hanc etiam regulam sequimur in Φ, quae ipsa PH constat, ut Cinyps Cinyphis, quae in nominatiuo casu P et S, in aliis casibus per P et H scribitur. Vel. Long. p. 2233: hinc noscuntur etiam quaestiones interdum quibus noua a ueteribus discernantur utrum absorbui an absorpsi, *uel* cum ad hanc disputationem pertinere non debeat, nisi quod proprium est ὀρθογραφίας, utrum per B an per P absorpsi scribi debeat: et aliis seruanda (sequenda *libri*) B littera *uidetur*, quoniam sorbere dicimus, aliis P, quoniam quaecumque apud graecos per Ψ scribuntur et constat haec littera ΠΣ, apud nos per P scribenda. idque (ideoque *libri*) in similibus seruandum, ut in eo quod est urbs et nupsi et plebs ac ceteris. p. 2224: ea quae apud nos Ψ litteram sonant, putant plerique per

1 *de cod. uid. adnot. ad fr. 44* et non paret *B* || urbs e pelobs *B* || 5 eiusdemmodi *B* || in ps excurrunt *B* || pelobs pelopis *B* ||

48 Cretenses Ennius (dixit).

II

49 Syllabae, ut ait Varro, aliae sunt asperae aliae leues, aliae procerae aliae retorridae, aliae barbarae aliae graeculae, aliae durae aliae molles. asperae sunt ut trux crux trans, leues ut lana luna, procerae sunt quae uocalem longam extremam habent aut paenultimam ut facilitas, retorridae sunt quae mutam habent extremam ut hic hoc, barbarae sunt ut gaza, graeculae ut hymnos Zenon, durae ut ignotus, molles ut aedes.

50 Delirus placet Varroni, non delerus. non enim, ut quidam existimant, a Graeco tracta uox est *παρὰ τὸ ληρεῖν*, sed est latina a lira id est sulco. itaque sicuti boues

P et S scribenda, quoniam et graeci pronuntiauerunt, [per] litteram Ψ constare *ἐκ τοῦ πίονος* (*ἐκ τοῦ π καὶ τοῦ σ ci. Wachsmuth coll. Sexto Emp. adu. gramm. 103*). sed qui origini uerborum propiores (proniores *an* propensiores?) sunt, per B scribunt. Prisc. I 42 p. 33, 3: huic (S) praeponitur P et loco Ψ graecae fungitur, pro qua Claudius Caesar antisigma *ↃC* hac figura scribi uoluit. sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare, quamuis non sine ratione haec quoque duplex a graecis addita uideatur, nam multo molliorem et uolubiliorem sonum habet Ψ quam PS uel BS. hae tamen id est BS non alias debent poni pro Ψ, hoc est in eadem syllaba coniunctae, nisi in fine nominatiui, cuius genetiuus in BIS desinit, ut urbs urbis, caelebs caelibis, Arabs Arabis. *cf.* Prisc. I 58 p. 43, 9, Cassiodori Valerian. p. 2289. Mar. Vict. I 4, 74 p. 2465 *sq.* P. Beda p. 2337 P.

48. Char. p. 124, 12: Cretum Cicero Tusculanarum libro II (*14, 34*): 'Cretum legis', Cretenses Ennius, ut Varro libro I de sermone latino scribit.

49. Diom. p. 428, 22: Syllabae ut ait . . . ut aedes.

50. Vel. Long. p. 2233 P.: Nec non et ibi *ὀρθοέπεια ὀρθογραφίᾳ* coniuncta est, ubi quaeritur, foenoris an foeneris dica*mus*, quoniam nomen inde tractum dicimus foeneratorem. item facineris non facinoris, quoniam facinerosum uocamus. sic etiam delirus pla-

3 leues *B* leue sunt *A* leuae *M* || 4 procere *A* proceres *BM* || gregulae *BM* || 6 proceres *ABM* || 9 gregulae *M* || ymnos *A* ymnus *B* || 11 *de cod. uid. adnot. ad fr. 45* || 12 *ληριν in mg.* *ληρεῖν V* || 13 latine sulco *VP* latina a lira id est sulco *Ritschelius quaest. uarr. p. 29* ||

cum se a recto actu operis detorserint delirare dicuntur, sic qui a recta uia uitae ad prauam declinant, per similitudinem translationis item delirare existimantur.

51 Interuallum duas L habet, uallum enim ipsum non aliter scribitur, a quo interuallum. Varro dicit interualla esse spatia, quae sunt inter capita uallorum id est stipitum quibus uallum fit, unde cetera quoque spatia dicuntur.

53 Narare per unum R scribitur, ut Varroni placet. secutus est enim etymologiam nominis eius, qua gnarus dicitur, qui scit et accipit quod loqui debeat. denique compositio uerbi ita scribitur: ignorare, quod non per duo R sed per unum scribitur. ideo et naratio unum R habere debet.

54 M. Varro in libro secundo ad Marcellum de latino

cet . . . delirare existimantur. Caper p. 2248 P.: delirare et delerare ἀπὸ τοῦ ληρεῖν. Non. p. 17: Delirare (delerare *codd.*) est de recto decedere. lira est autem fossa recta, quae contra agros tuendos ducitur et in quam uligo terrae decurrat.

51. Cassiodori Cornut. p. 2284 P. p. 576B Garet.: Interuallum duas . . . spatia dicuntur. Beda p. 2337 P.: interuallum per duo L scribendum est.

52. Cassiodori Papirian. p. 2290 P. p. 578A Garet.: Querella per duo L scribitur. narare per . . . habere debet. Vel. Long. p. 2238: sane in eo quod est narare obseruatum est ut unum R scriberemus, quoniam uenit a gnaro cui contrarium est ignarus. Beda p. 2340: naro et naratio per R scribantur.

53. Gell. XII 10, 1: Aeditimus uerbum latinum est et uetus, ea forma dictum qua finitimus et legitimus. pro eo a plerisque nunc aedituus dicitur noua et commenticia usurpatione, quasi a tuendis aedibus appellatus. satis hoc esse potuit admonendi gratia dixisse * * propter agrestes quosdam et indomitos certatores, qui nisi auctoritatibus adhibitis non comprimuntur. M. Varro . . . origine incorruptum. cf. Varro de l. l. VII 12 p. 298. VIII 61 p. 437.

3 existimatur *V* || 4 *de codd. uid. ad fr. 43* duas .l.l. habet *AB* || 6 sunt *B erasum in A* || 8 scribitur *om. A* || secutus enim est ethimologiam *B* || 10 et accipit *om. B* || quod loqui] quid loqui *A* qui loqui *B* || 12 narratio *eraso priore* r *A* || 14 *de codd. uid. adn. ad fr. 36* marcellium *V* ||

sermone aeditumum dici oportere censet, magis quam aedituum, quod alterum sit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum.

54 Quae graeci dicunt aenigmata, hoc genus quidam ex nostris ueteribus scirpos appellauerunt. | quale est:

Semel minusne an bis minus non sat scio,
an utrumque eorum. ut quondam audiui dicier,
Ioui ipsi regi noluit concedere.

hoc qui nolet diutius apud sese quaerere, inueniet quid sit in M. Varronis de sermone latino ad Marcellum libro secundo.

de re rust. I 2, 1. Fest. Pauli p. 13 M.: aedituus aedis sacrae tuitor id est curam agens, aeditimus aedis intimus. Char. p. 75, 18: aeditumus dicitur qui aedem seruat quasi aedis intimus, dicitur etiam aedituus ab aede tuenda. *cf.* Placidi gl. in Mai class. auct. III p. 427. Thes. latin. in Mai class. auct. VIII p. 192.

54. Gell. XII 6: Quae graeci . . . quale est, quod nuper inuenimus per hercle antiquum, perquam lepidum tribus uersibus senaris compositum aenigma, quod reliquimus inenarratum, ut legentium coniecturas in requirendo acueremus. uersus tres hi sunt: semel minus . . . libro secundo.

1 editumum *L* editummum *V* || edituum *V* editũum *L* || 4 *Gelli codicibus VL accedit B = fragm. Bernense cod. msc. 404 scriptum anno ae. n. 1173 cf. Hertz l. s. p. 412* quae greci *L* que greci *VB* || enigmata *VL* enicmata *B* || 5 appallauerunt (e) *L* || 6 minusne *L* minusque *B* minus (ne) *V* || minus non sat scio *Scaliger Virgilii append. p. 230* minus non sit sat scio *L* minus non sit sed scio *VB* || 7 an *LVB* at *Hertzius* || eorum ut quondam *VB* eorum quod *L* || audiui ipsi dicier ioui regi *L* audiui ipsi dicier ioui regi regi *B* audiui ipsi . . . . oui regi *lacuna sex uel septem litterarum inter* ipsi *et* oui *V* audiui dicier Ioui ipsi regi *Scaliger* || 8 uoluit *V hoc aenigma Barthius aduers. XVI 22 sic scripsit:* semel minus? non. bis minus? non. sat scio. |an utrumque? uerum . ut quondam audiui dicier *e. q. s.* || 9 nolet *L* noluit *VB* || aput *V* || quaereret *VB* || 10 in m . uarronis *LB* . ĭn . uarronis *V* || mercellum *L* macellium *V* ||

III

55 Scire oportet uocem sicut omne corpus tris habere distantias: longitudinem altitudinem crassitudinem. longitudinem tempore ac syllabis metimur, nam et quantum morae enuntiandis uerbis teratur et quanto numero modoque syllabarum unumquodque sit uerbum, plurimum refert. altitudinem discernit accentus, cum pars uerbi aut in graue deprimitur aut sublimatur in acutum. crassitudo autem in spiritu est, unde etiam graeci adspirationem πνεῦμα δασὺ appellant. nam omnes uoces aut aspirando facimus pinguiores, aut sine spiritu pronuntiando tenuiores.

56 H sicut in quaestione est littera sit necne: sic nunquam dubitatum, an secundo loco a quacunque consonante poni deberet, quod solus Varro dubitat. uult enim aucto-

55. Seru. de accent. 8 p. 526 Endl.: Scire autem oportet ... pronuntiando tenuiores. Prisc. de accent. p. 519, 6: uox corpus esse ostenditur. nam et si corpus non esset, auditus aurium minime ui percuteretur. sed cum tangit auditum et reuerberat elementum, tripertito diuiditur, altitudine scilicet latitudine longitudine. habet quippe littera altitudinem in pronuntiatione, latitudinem in spiritu, longitudinem in tempore, hoc est et alte et late et longe auditur.

56. Cassiodori Cornut. p. 2285 P. p. 576[B] Garet.: H sicut in ... heres hircus. sed Varronem praeterit consonantem ideo secundo loco H recipere, quia non possit ante *se* adspirationem nisi uocalis habere. itaque et ante et post H littera, cuicumque *uocali* adiungatur, consonabit (*sic corr. Vsener, cum codd. om.* se, *scrib.* uocales, tali, non sonabit). haec enim natura uocalium est, ut, ante siue (ante se aut *codd.*) post se habeant H, enuntiationem non inpe-

L = cod. Lauantinus saec. VIII uel VIIII, cuius lectiones ex analectis gramm. Eichenfeldi et Endlicheri adpono || 3 distantias altitudinem *L* || 4 quantum ore *L* || 6 sit] si *L* || 7 altitudinem] ab altitudine *L* || 8 Crasitudo *L* || 9 spiratu *corr. in* spiritu *L* || πνεῦμα δασύ *add. Albertus Zippmann om. L* || 10 aspiranda *L* || 11 pingui res *L* || aspiratu *L* || 12 *de codd. uid. adnot. ad fr. 43* || sic] sit *AB* || nunquam *A* || dubitatum ac secundo *A* dubitatum est ac secundo *B* || consonanti *B* || 14 debere *AB* || quia solus *B* ||

ritate sua efficere, ut H prius ponatur ea littera, cui adspirationem conferat, et tanto magis hoc tentat persuadere, quod uocalibus quoque dicat anteponi ut heres, hircus.

57 Varroni placet R litteram, si primo loco ponatur, non adspirari. lector enim ipse, inquit, intellegere debet Rodum, tamen etsi H non habet, Rhodum esse, retorem rhetorem.

58 De H littera quaeritur quae se cum his aut inseruit uocibus aut praeposuit; inseruit, ut in his: uehemens reprehendit, cum elegantiores et ueementer dicant et reprendit secundum primam positionem. prendo enim dicimus non prehendo. at praeposuit, ut cum dicas: hostis harena halicam et haliculam, cum ab alendo possit alica dici, et aliculam existiment dictam, quod alas nobis iniecta contidiant.

Prisc. I 25 p. 19, 12: *P⊦* autem ideo non est translatum ab illis in aliam figuram, quod nec sic cohaeret huic quomodo mutis, nec si tollatur minuit significationem. quamuis enim subtracta aspiratione dicam: retor Pyrrus, intellectus integer manet, non aliter quam si antecedens uocalibus auferatur, unde ostenditur ex hoc quoque aliqua esse cognatio R litterae cum uocalibus. ex quo quidam dubitauerunt, utrum praeponi debeat huic aspiratio an subiungi.

57. Cassiodori Cornut. p. 2286 P. p. 577A Garet.: V a r r o n i enim p l a c e t . . . r e t o r e m r h e t o r e m. sed eadem obseruatio non necessaria est R litterae. sunt enim uerba primo loco R litteram habentia non minus latina quam graeca. itaque merito auferemus aut amouebimus adspirationem: Roma regina rapa Rodus. *cf. Prisciani uerba ad fr. 56. exscripta.*

58. Vel. Long. p. 2229 P.: Et d e H l i t t e r a . . . O t h o B o c c h u s.

5 quae adspirationem *B* quae ad adspirationem *A* || 2 conferat *edidit Fornerius* (*Paris. 1588*) conferet *B* confert *A* || temptat *B* || 3 qu . . uocalibus (quod *corr.*) *B* ut uocalibus *A* || q̄q; *A* || 4 placet. h. littera *B* placet h litera *A* || si pro loco *B* || 5 ipse intelligere debet inquit *A* || debet Rhodum *A* || 6 non *om.* *A* || rodum esse *AB* || retorem. rethorem *B* || 8 *de cod. uid. adnot. ad fr. 45* de hac litera *V* || cum his] ? ? || 10 et reprendit] In reprendit *V* || 12 harenę ha:^{h}alicam et aliculam *V* || 14 existimet *V* ||

neat. hortus quoque non desiderabat aspirationem, quod ibi herbae oriantur id est nascantur, sed tamen a consuetudine accepit. et cohortes aeque a cooriendo ex eodem loco dictae sunt, et eam differentiam quidam esse uoluerunt, ut cohortes militum cum aspiratione a mutua hortatione dicantur. item nonnulli harenam cum aspiratione, siue quoniam haereat siue quod aquam hauriat, dicendam existimauerunt, aliis sine aspiratione uidetur enuntianda. nos non tam per illas causas, quas supra proposuimus, quam propter originem uocis, siquidem, ut testis est Varro, a sabinis fassana dicitur: et sicut S familiariter in R transit, ita F in uicinam aspirationem mutatur. similiter ergo et hoedos dicimus cum aspiratione, quoniam foedi dicebantur apud antiquos. item hircos, quoniam eosdem aeque fircos uocabant. nam et e contrario, quam antiqui habam dicebant nos fabam dicimus. cilonem quoque et cocleam et cocleare sine aspiratione scribemus, et quicquid per consuetudinem aurium ita licuerit enuntiare. non enim firmum est catholicum grammaticorum, quo censent aspirationem consonanti non esse iungendam, cum et Carthago dicatur et pulcher et Gracchus et Otho et Bocchus.

58A Peccant qui prehensus cum adspiratione scribunt, cum eam prima persona non habeat, et similiter uehemens, cum a ui mentis dicatur. quam quidam putant adiciendam, quoniam id non aliud putant esse quam altius *mentem uehi id est* ferri, cum huic uerbo sine dubitatione adspiretur.

58A. Ter. Scaur. p. 2256 P.: Similiter peccant et qui nucs et

4 et tam *V* || 11 fassana f fasma (α) *V* || 15 fercos f fircos *V* || 17 coleam *V* || 20 censent *P* || 21 (.i.) gracchos *V* || 22 bocchus *V* || 23 *de cod. uid. adn. ad fr. 44* || aspiratione *B* || 24 ueemens *B* || 26 quoniam ·i· non *B* || quam alterius . (ferri) cum hoc *B* || 27 aspiretur *B* ||

negat Varro etiam Graccho adspirandum, quoniam a gerendo sit cognominatus, matrem enim eius qui primus Graccus sit dictus, duodecim mensibus utero eum gessisse. et pulchrum quamuis in consuetudine adspiretur, nihilo minus tamen ratio exili littera C enuntiandum et scribendum esse persuadet, ne una omnino dictio aduersus latini sermonis naturam media adspiretur. quamuis Santra a graecis putet esse translatum quasi πολύχρουν.

58B Graccus et ortus sine adspiratione dici debere Varro ait et ortum quidem, quod in eo omnia oriantur, Graccum autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestauerit, uel a gracilitate corporis ut quidam uolunt.

58C Arena si ab ariditate dicitur non habet aspirationem, si ab haerendo ut in fabricis uidemus habet.

58D Pulchrum Varro adspirari debere negat, ne duabus

trucs et ferocs in nouissimam litteram dirigant ... item, qui prehensus ... quasi πολύχρουν.

58B. Char. p. 82, 7: Graccus et ortus ... quidam uolunt. sed consuetudo et Gracchos et hortos cum adspiratione usurpauit. *de re cf. M. Haupt quaest. Catull. p. 78 sq.*

58C. Seru. ad Verg. Aen. I 172: Arena: quaeritur habeat necne nomen hoc adspirationem. et Varro sic definit: si ab ariditate ... uidemus habet. melior tamen est superior etymologia.

58D. Char. p. 73, 17: Pulchrum Varro ... recordationem doloris. unde et sepulcrum hodieque manet, quod sit seorsum a pulcro.

ac
1 greco aspirandum *B* || 2 enim eius] enim enim *B* || 3 utero eum *Ritschelius quaest. uarr. p. 28* uterum *B* || gessisset *B* || 3 nihilhominus *B* || 5 ratio exhi littere tenuntiandum *B* || exiliter c *P* || 7 aspiretur *B* || 8 polichrum *B* || 14 si] sed *H* = *cod. Hamburgensis* || aritutate *corr. in* ariditate *H* aritate *cod. Lips. saec. X* || 15 herendo *H* || ut *suprascr. manu sec. in cod. Cassellano* || uidemus *om. cod. Bernens. 363. suprascr. m. sec. in Cass.* ||

consonantibus media intercedat aspiratio, quod minime rectum antiquis uidebatur.

58—58D. Quint. I 5, 19: Illa uero nonnisi aure exiguntur, quae fiunt per sonos. quamquam per adspirationem, siue adicitur uitiose siue detrahitur, apud nos potest quaeri an in scripto sit uitium, si H littera est, non nota. cuius quidem ratio mutata cum temporibus est saepius. parcissime ea ueteres usi etiam in uocalibus, cum oedos ircosque dicebant, diu deinde seruatum ne consonantibus aspirarent ut in Graccis et in triumpis. erupit breui tempore nimius usus, ut choronae chenturiones praechones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma (84) est. inde durat ad nos usque uehementer et comprehendere et mihi, nam mehe quoque pro me apud antiquos tragoediarum praecipue scriptores in ueteribus libris inuenimus. Gell. XVI 5, 6: uemens . . . a mentis ui atque impetu dicitur. cf. Macrob. sat. VI 8, 18. Vel. Long. p. 2234 P.: uoluerunt item alium esse Cilonem alium Chilonem, et Cilones homines uocari angusti capitis et oblongi, Chilones uero improbioribus labris homines a Graeco παρὰ τὰ χείλη. talis quaestio est circa cohortes et coortes, ubi diuersam esse significationem uoluerunt grammatici, ut coortes sint uillarum, unde homines cooriantur pariter. oriri enim apud antiquos surgere frequenter significabat, ut apparet in eo quod dicitur: 'Oriens consul magistrum populi dicat', quod est surgens. at cohortes militum a mutua cohortatione. nam cortes audimus quidem uolgo sed barbare dici. de superiore differentia mihi aliud uidetur, quod cum superius de adspiratione loquerer ostendi, id quoque illum (*an* ibi quoque illam?) sibi locum fecisse, cum alioquin non desideraretur, ut in uehemente et in reprehenso, cum ueemens et reprensus sine adspiratione emendatius dicatur. nam tam militum quam rusticorum coortes sunt, si quidem et milites e rusticis et ex eiusdem regionis hominibus conscribebantur, ut et agnoscere et tueri inuicem possint. *cf.* Cassiodori Vel. Long. p. 2287 P. Cassiodori Cornut. p. 2286 P.: uehemens et uemens apud antiquos et apud Ciceronem lego, aeque prehendo et prendo, hercule et hercle, nihil et nil. haec obseruare ea tenus poteris consuetudine potius quam ratione, in his praecipue uerbis, quae adspirationem habere debent. Fest. Pauli p. 84 M.: foedum antiqui dicebant pro hoedo, folus pro olere, fostem pro hoste, fostiam pro hostia. p. 7: alica dicitur quod alit corpus. p. 102: hortus apud antiquos omnis uilla dicebatur, quod ibi qui arma capere possint orirentur. Char. p. 103, 21: harena dicitur quod haereat et arena quod areat, gratius tamen cum adspiratione sonat. Mar. Vict. I 4, 84 p. 2466 P.: uideo uos saepe et orco et uulcano H litteram relinquere, sed credo uos antiquitatem sequi. sed cum asperitas uetus illa paulatim ad elegantioris uitae sermonisque est limam perpolita, sic uos quoque has uoces sine H secundum consuetudinem nostri seculi scribite. item corona ancora sepulcrum, sic et quae H in adspiratione desiderant, ut brachium cohors harena pulcher. sed ea quatenus debetis obseruare ignoratis, inducti fortasse eo quod legistis praeceptum antiquorum, qui aiunt scribi quidem omnibus litteris oportere, in enuntiando autem quasdam litteras elidere, in quo . . . bis peccatis, quod

59 In accentu materia locus et natura prosodiae breuissime conpraehensa sunt. nam materia esse ostenditur vox et ea quidem, qua uerba possunt sonare, id est scriptilis. locus autem syllaba, quoniam haec proprie uerbi pars est, quae recipit accentum. natura uero prosodiae in eo est, quod aut sursum est aut deorsum; nam in uocis altitudine omnino spectatur adeo ut, si omnes syllabae pari fastigio uocis enuntientur, prosodia sit nulla.

60 Quot sint prosodiae dicendum est.

aliud scribitis et aliud legitis quam scriptum est. Vel. Long. p. 2238 P.: de aspiratione . . . aliquid iam locuti sumus, repetendum tamen existimaui sermonem propter eos qui hymnum, item hyacinthum et hymenaeum uarie scripserunt. alii enim praeponendam adspirationem putauerunt, alii tamquam non necessariam omiserunt, quoniam scilicet in communi lingua graecorum numquam non adspirationem in se habet Y littera quotiens inchoat uoces. nam quod ad latina pertinet, in quibus tale quid (*Vsener pro* late aliquid) ambigitur, antiqua consuetudo respicienda est, quibus moris fuit pro hac adspiratione litteram dicere F. itaque harenam iustius quis dixerit, quoniam apud antiquos fasena erat, et hordeum quia fordeum, et sicut supra diximus hircos quoniam firci erant, et hoedi quoniam foedi. Ter. Scaur. p. 2249 P.: per detractionem (uitiatur scribendi ratio) cum aedus sine adspiratione scribitur, cum alioqui cum ea debeat, quoniam apud antiquos faedus sit dictus et ubi illi F litteram posuerunt, nos litteram (autem *P*) H substituimus, ut quod illi fordeum dicebant nos hordeum, fariolum quem nos hariolum, similiter faedum quem nos haedum dicimus. p. 2252: nec minus consonantes (inter se mutuis uicibus in declinatione funguntur) ut F et H, utraque enim ut flatus est. quare quem antiqui fircum nos hircum, et quam Falisci habam nos fabam appellamus, et quem antiqui fariolum nos hariolum. *cf.* p. 2258. Fest. Pauli p. 43: Chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum. Cilo sine adspiratione, cui frons est eminentior ac dextra sinistraque ueluti recisa uidetur. Char. p. 102, 1: Cilones dicuntur, quorum capita oblonga et conpressa sunt; chilones autem cum adspiratione ex graeco a labris inprobioribus, quae illi uocant *χείλη*, unde et pisces chilones inprobius labrati.

59. Seru. de accentib. 7 p. 526 Endl.: In accentu . . . sit nulla.

60. Seru. de accentib. 17 p. 530 Endl.: Quot ergo sint . . .

1 *de cod. uid. adnot. ad fr. 55* natura est prosodie *L* || 3 qua] quae *L* || 4 probrie *L* || 7 omño *L* || fastigia *corr. in* fastigio *L* || 9 quod *L* ||

Athenodorus duas esse prosodias putauit, unam inferiorem, alteram superiorem. flexam autem, nam ita nostra lingua *περισπωμένην* uocamus, nihil aliud esse quam has duas in una syllaba.

Dionysius autem Aristarchi discipulus, cognomento Thrax, domo Alexandrinus, qui Rhodi docuit, lyricorum poetarum longe studiosissimus, tres tradidit quibus nunc omnes utuntur *βαρεῖαν ὀξεῖαν περισπωμένην*.

Tyrannio uero Amisenus, quem Lucullus Mithridatico bello captum Lucio Murenae concessit, a quo ille libertate simul et ciuitate donatus fuit, quattuor scribit esse prosodias *βαρεῖαν μέσην ὀξεῖαν* et *περισπωμένην*. atqui memoriae proditum est hunc ante alios fuisse pronuntiatione peritum, quod nequaquam assequi potuisset, nisi tenore singularum uocum diligentissime perquisito.

In eadem opinione et Varro fuit, qui in leges suas redegit accentuum scientiam et doctrinam, isque omnibus a se propositis euidentissimas affert probationes, ut id quoque pro media prosodia facit, dicendo ipsam naturam ni-

dicendum est. quae res eo maiore cum cura tractanda est, quod nostra ratio ab opinione iam inueterata et omnium fere animis adfixa discrepat. Athenodorus duas . . . inferior inter se. sed hoc mediae prosodiae satis, quo quis sciat esse quaerendam. ceterum qui hanc ignorant, 'quia sola nouerunt, quae scholis studue-

1 at henodorus *L* || 3 perispomen *L* || uocauimus *L* || 5 dionisius *L* || aristarci *L* || 6 trax *L* || alexandri^{u}os a qui rodii *L* || liricorum *L* || 8 baria noxian perispomenon *L* || 9 tyrannion uero iamisenus *L* || lucillus mitridatico *L* || 10 captam *corr. in* captum *L* || munere *corr. in* murene *L* || concesit *L* || quo illo *L* || 11 fuit] sit *L* || 12 barian mesehenoxiant perispomenenat qui *L* || 14 peritum] potiorem *L* || assequi] ^{a}esse qui *L* || 16 qui in *Endl.* quin *L* || 17 redigit *L corr. Endl.* || scientia et doctrina *L* scientiam. doctrina *Endl.* || isque] eius quae *L* || 18 quodque *L* || 19 prodosia *L* || dicendo ipsam] *hic incipit Wasi* (*cf. supra p. 49*) *excerptum* (= *W*) *his uerbis: Varro laudatus in Seruii Ms. Cap. de Accentib. pluribus pro Media Prosodia arguit,* ipsa in natura nihil totum ||

hil facere totum, ubi non sit medium. ut enim inter rudem et eruditum, inter calidum et frigidum, amarum et dulce, longum et breue sit quiddam medium, quod neutrum est, sic inter imam summamque uocem esse mediam, ibique quam quaerimus prosodiam. neminem musicum esse, qui mediam uocem in cantu ignorauerit, nec quemquam potuisse dicere in sono chordarum aut uoce tibiarum assaue uoce cantantium μέσην esse, si non in omni uocis natura esset medium, minimeque mirum, ut in hanc multorum sensus non animaduertat, cum illum, qui in cithara aut tibia aliquanto uberior est, saepe totum non sentiat meatum.

Praeterea minus reliquis notam, primum quod ea sit principium aliarum ut μέση in musice initium cantionis, et omnium rerum initia semper obscura sint. dein quod omne medium in angustis non uideatur, ut punctum in quamuis magno orbe, quod uocant κέντρον. nullum esse corpus, ubi non sit medium, et omnem uocem corpus esse, omnem igitur uocem medium habere. quod enim fuit deorsum prius in medium succedere quam euolet sursum, et

runt, non sunt culpandi. sed nec magistros, qui tres solas demonstrant, erroris arguerim, si modo hoc docendi causa faciunt, cum ipsos quarta non lateat. tres prosodias in usu esse scire oportet, m e d i a autem q u a e . . . i n e s s e s i g n i f i c a t. mediae uero cuius nunc usus non habetur, notam non ponimus, quia neque a maioribus accepimus neque fingere possumus. o r d o i n a c c e n t i b n s . . . n o n r e c i p i t, non tamen setius est aliquis (*an* alius?) prior natura

2 amarum et dulce longum et breue *W* et amarum dulcem longum et brebem *L* || 3 sit] est *L W* || quoddam *W* || 5 querimus *L* || musicam *L* || 6 quenquam *W* || potuisse *L* potius esse *W* || 7 cordarum *L* || aut uoce quarum aliaue *L* alia uoce buccinarum assaue *W* || 8 mesen *L W* || si *W* si si *L* || 10 illa quae *L W* || chitera (i) aut quia aliquando *L* cithara auditur quia aliquanto *W* || 11 tatum *corr. in* totum *L* tantum *W* || cum illam, quae etc., saepe totum non sentiat theatrum *ci. Wachsmuth* || 12 preterea *L* || 13 mese *W* mesae *L* || musica *W* || 14 omnia initia *W* || deinde *W* || 15 in quamuis *W* non quamuis *L* || 16 quod] quem *L W* || centron *L W* || 18 fuit *Weil et Benloew théor. gén. de l'accent. lat. p. 16* fluit *L W* || 19 succendere *L* ||

quod sursum est ante eodem uenire quam deorsum, quare utriusque compitum medium esse. et multa praeterea latius in eam rem disputata profert, quae nunc nobis locus non est iterare. scire enim oportet rationis huius recens non esse commentum, sed omnium, qui ante Varronem et Tyrannionem de prosodia aliquid reliquerunt, plurimos et clarissimos quosque mediae huius fecisse mentionem, quos omnes sibi fuisse auctores Varro commemorat: grammaticos Glaucum Samium et Hermocraten Iasium; item philosophum Theophrastum peripateticum cui diuina facundia nomen adsciuit, nec non eiusdem sectae Athenodorum, summi acuminis uirum, qui quandam prosodiam *μονότονον* appellat, quae uidetur non alia esse quam media, licet diuerso uocabulo.

Nec desunt, qui prosodias plures esse quam quatuor putauerint. ut Glaucus Samius, a quo sex prosodiae propositae sunt sub hisce nominibus: *ἀνειμένη*, *μέση*, *ἐπιτεταμένη*, *κεκλασμένη*, *ἀντανακλωμένη*, *νήτη*. sed hic quoque non dissentit a nobis. nam cuiuis ex ipsis

quam alius, non secus atque in litteris euenit. nobis de accentu dicturis *non* longitudo tractanda est, *uerum* (accentu longirido tractandum est ue *cod.*) altidudo, quae tamen liquido cognosci non potest, nisi longitudinis quoque ratio habeatur. in eius enim aliqua parte esse debet id quod altissimum est. denique cum uerbum enuntietur, aliqua in eo syllaba necessse est summum illud uocis fastigium possideat, sed quae potissimum sit, ea monstrari non potest, nisi per temporum syllabarumue numerum, qui proprie longitudinis

1 eodem uenire *Weil et Benloew l. s.* eo deuenire *LW* || quare utriusque *L* quantumuis *W* || 2 et multa — 6 aliquid reliquerunt] *om. W* || 3 disputatam *L* || locum est iterarae *L* || 5 barronem *corr. in* Varronem *L* || 6 relinquerunt *L* || Haec Varro, qui plurimos *W* || 7 quoque *L* || huius sibi fuisse autores commemorat *W* || 8 barro *corr. in* Varro *L* || 9 ioseum *L* || philosofum theoprastum *L* || 11 ut henothorum *corr. in* athenothorum *L* || 12 prosodoam *corr. in* prosodiam *L* || monotonon *corr. in* monotomon *L* || 15 nec desunt *L* nec deesse monet Seruius *W* || prosodosias *L* || 16 prosodiae sunt *LW* || 17 hiisce *W* || ansimen himesip petamene cecasmen antanaca homenehc *L* an simenhimes ip pentamene cecasmen antanaca homenech *W* || 19 desentit *L* ||

nominibus intellectu procliue est tres primas esse simplices et non alias quam *βαρεῖαν μέσην ὀξεῖαν*, postremas autem tres duplices et quasi species unius flexae, quae est genere una. hanc enim flecti non uno modo omnes putauerunt, Eratosthenes ex parte priore acuta in grauem posteriorem, Theodorus autem aliquando etiam ex graui in acutiorem excendere. ceterum Varro in utramque partem moueri arbitratur, neque hoc facile fieri sine media, eamque acutae coniunctam plerumque esse potius quam grauem, quod ea propius utramque est, quam illa superior et inferior inter se. |

Media, quae inter duas quasi limes est, quod grauioris quam acutioris similior est, in inferioris potius quam superioris numerum relegatur. in hoc enim fere doctissimorum consensus est, acutam plus una uno in uerbo esse non posse, graues esse complures.

Prosodiam ibi esse dicimus, ubi aut sursum est aut deorsum. quae demissior est, ea a pluribus *βαρεῖα* appellatur graece, latine uero grauis ideo quod deorsum est, in sede scilicet ponderum grauiorum. at eam quae sur-

est. quapropter etsi metricis uidetur syllabarum naturam * ad rhythmicos solos pertinere temporum denumerare interualla, tamen, quia titulus propositi utramque flagitat cognitionem, ne quid quod ad discendos accentus pertinet deesse uideatur, de uerbi longitudine dicendum est, ea sola adtingentes, quae operi necessaria uidebuntur. l o n g i t u d o u e r b o r u m . . . s y l l a b i s f i n i u n t. neque enim refert, tempus in syllaba esse an in tempore syllabam dicamus, dummodo discendi causa concessum est eam moram qua breuis syllaba dicitur, unum et breuissimum tempus uocare, qua uero longa pro-

2 uariam mesenoxian *L* || 5 erat ostenes *L* || 6 posteriorem *om. W* || autem *om. W* || 7 extendere *W* || in utramque partem *Weil et Benloew l. s. p. 14* in utraque parte *LW* || 8 hoc] hic *LW* || 9 acutam plerumque esse putius quam grabem (*corr. in* grauem) *L* acutam plerumque esse potius quam grauem *W cf. supra p. 55* adiunctam *ci. Vsener* || 10 probrius utraque *L* || 11 inter se] *hucusque W* || 13 similior est] similiores *L* || putius *L* || 14 superiorum || 15 uno *om. L* || 17 prosodiant *L* || 18 quae demisior est quae a *L* || *βαρεῖα*] uaria *L* || 20 eamque rursum est *L* ||

sum est Glaucus ἐπιτεταμένην, item alius aliter, sed nemo adhuc leuem uocauit, quamuis id erat graui contrarium, uerum ea nomen optinet ὀξείας latine acutae, ideo quod tenuis et omne acutum tenue. inter has est μέση latine media, quia limes est per quem duae supradictae ultro citroque commeant. quartae illi coniunctae, quia ceteris perplexior est, plura sunt uocabula. Ammonius Alexandrinus, qui Aristarchi scholae successit, ὀξύβαρυν uocat, Ephorus autem Cymaeus περίσπασιν, Dionysius Olympius δίτονον, Hermocrates Iasius σύμπλεκτον, Epicharmus Syracusius κεκλασμένην. uerum ea nunc ab omnibus περισπωμένη graece uocatur, apud nos flexa, quoniam primo erecta rursus in grauem flectitur.

Acuta exilior et breuior et omni modo minor est, quam grauis, ut est facile ex musica cognoscere cuius imago prosodia. nam et in cithara omnique psalterio quo quaeque chorda acutior eo exilior, et tibia tanto est uoce acutiore quanto cauo angustiore, adeo ut corniculo aut βομβυκίῳ addito grauior reddatur, quod crassior exit in

fertur, duo tempora appellare, ipsa cogit natura, cum loquimur. breuem monochronon, longam dichronon appellamus. duo enim longa syllaba habet tempora, positionis et naturae, breuis naturae habet tantum (unum?) modo. Terentius rhythmis scribit comoedias uel Plautus. Prisc. de accentib. p. 519, 25: accentus est certa lex et regula ad eleuandam et deprimendam syllabam uniuscuiusque particulae orationis, qui fit ad similitudinem elementorum litterarum syllabarumque, qui etiam tripertito diuiditur, acuto graui circumflexo. acutus

1 epitetamenen *L* || 3 numen *L* || oxian *L* || acuta *L* || 4 mese *L* || 6 commeant] commentat *L* || quarte *L* || illi coniungit liquia *L* coniunctili, quia *ci. Vsener* || 7 hammonius alix$\overset{u}{\text{o}}$ndris *L* || 8 aristarci sco^{l}lae *L* || oxibarin *L* || 9 cymeus perispasin *L* || 10 δί-τονον *ci. Weil et Benloew l. s. p. 10* aponon *L* || sim plecton *L* || epicarmus siracusius cetasmenen *L* || 11 perespomene *L* || 12 prima *corr. in* primo *L* || 13 grauem] grebem *L* || 14 brebior *L* || 16 chitera *L* || quoque quae *L* || 17 tibia] uita *corr. in* tiuia *L* || tanta *corr. in* tanto *L* || 19 βομβυκίῳ] bamborio *L* *cf. supra p. 58* || addita *corr. in* addito *L* ||

aera. breuitatem quoque acutae uocis in iisdem organis animaduertere licebit, siquidem in pulsu chordarum citius acuta transuolat, grauis autem diutius auribus immoratur. etiam ipsae chordae, quae crassius sonant, longiores uidentur quia laxius tenduntur. item in fistula duo calami breuissimi, qui acutissimae uocis, tibiae quoque acutiores quae breuiores, et his foramina quam sunt ori proxima et breuioris aeris motum persentiscunt tam uocem reddunt acutam. sic in loquentium legentiumque uoce, ubi sunt prosodiae uelut quaedam *διαστήματα*, acuta tenuior est quam grauis et breuis adeo, ut non longius quam per unam syllabam quin immo per unum tempus protrahatur, cum grauis quo uberior et tardior est diutius in uerbo moretur et iunctim quamuis in multis syllabis residat. quocirca graues sunt numero plures, pauciores acutae, flexae rarissimae.

Acutae nota est uirgula a sinistra parte dextrorsum sublime fastigata. grauis autem notatur simili uirgula in eadem parte depresso fastigio, quae notae demonstrant omnem acutam uocem sursum esse et grauem deorsum. ipsum etiam musicorum docetur diagrammate in quo tropi pro acumine uocum superiores scribuntur, denique summus hyperlydius quia acutissimus, infimus hypodorius quo

namque accentus ideo inuentus est, quod acuat siue eleuet syllabam; grauis uero eo, quod deprimat aut deponat. circumflexus ideo quod deprimat et acuat. Isid. orig. I 17, 1: accentus, qui graece prosodia est, ex graeco nomen accepit, nam graece *πρός* ad latine, *ᾠδή* graece latine cantus est ... accentus autem dictus, quod iuxta cantum sit sicut aduerbium quod iuxta uerbum est. acutus accentus dictus, quod acuat et erigat syllabam, grauis quod deprimat et deponat, est enim contrarius acuto. circumflexus, quia de acuto et graui constat, incipiens enim ab acuto in grauem desinit, atque ita dum ascendit et descendit, circumflexus efficitur. acutus autem et

1 brebitatem *L* || isdem *L* || 2 in *om. L.* || cordarum *L* || 3 transuolai *L* || 4 cordae *L* || 5 tendentur *corr. in* tenduntur *L* || 6 tiuiae quo acutiores *L* || 7 sint *corr. in* sunt *L* || 10 *διαστήματα*] istamina *L cf. supra p. 59* || 17 *an* in eandem partem depressa a fastigio? || 18 depressa *L* || 20 diagrammatae *L* || 21 sumus hic per lidius *L* || 22 quo *corr. in* qua *L* ||

nullus est grauior. flexa autem prosodia, quod duplex est et ex acuta grauique ficta, notam habet nomini potestatique respondentem. nam a sinistro cornu surgens arduo fastigio et sursum molli curuatura dextrouersum flexa praecipiti cliuo deprimitur et speciem pronae litterae V efficit et priorem acutam et posteriorem grauem sibi inesse significat. |

Ordo in accentibus non adtenditur, uerum uarie, nunc grauem nunc acutum nonnumquam flexum primo loco poni dubium non recipit. |

Longitudo uerborum duabus in rebus est, tempore et syllabis. tempus ad rhythmicos pertinet, syllabae ad metricos. inter rhythmicos et metricos dissensio nonnulla est, quod rythmici in uersu longitudinem uocis tempore metiuntur et huius mensurae modulum faciunt tempus breuissimum in quo quaecunque syllaba enuntiata sit breuem uocari. metrici autem uersuum mensuram syllabis conpraehendunt et huius modulum syllabam breuem arbitrantur, tempus autem breuissimum intellegi quod enuntiationem breuissimae syllabae cohaerens adaequauerit. itaque

circumflexus similes sunt. nam uterque leuat syllabam. grauis contrarius uidetur ambobus, nam semper deprimit syllabas, cum illi leuent, ut 'unde uenit Titan et nox ubi sidera condit'. unde hic grauis est, minus enim sonat, quam acutus et circumflexus. Mar. Vict. I 8, 1 p. 2481 P.: inter metricos et musicos propter spatia temporum, quae syllabis conprehenduntur, non parua dissensio est. nam musici non omnis inter se longas aut breuis pari mensura consistere, si quidem et breui breuiorem et longa longiorem dicant posse syllabam fieri. metrici autem prout cuiusque syllabae longitudo ac breuitas fuerit, ita temporum spatia definiri neque breui

2 nominis *L* || 3 cum surgens *L* *an* a sinistra consurgens? || 4 curuatur adextro uersu *L* || 6 efficit et] et *om.* *L* || 14 longitudine uocis tempora *L* || 16 in quocumque *L* in quo cum quae *Westphalus fragm. d. gr. rhythm. p. 42* || 18 et] ut *L* || brebem *L* || 19 brebissimum *L* || enuntiationem *Westphalus l. s. p. 43* enuntiatione *L* || 20 brebissimae || coherens adaequaberit *L* ||

rhythmici temporibus syllabas, [metrici] tempora syllabis finiunt.

60A Varro ait ad Marcellum de lingua latina: quattuor foraminum fuisse *tibias* apud antiquos. etenim et se ipsum ait in templo Marsyae uidisse tibias quattuor foraminum.

60B Tibia phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet alterum grauem.

61 In priore uerbo graues prosodiae quae fuerunt manent, reliquae mutant.

62 Faenerator, sicuti M. Varro in libro tertio de sermone latino scripsit, a faenore est nominatus. faenus autem di-

breuiorem, aut longa longiorem, quam natura in syllabarum enuntiatione protulit, posse aliquam reperiri.

60A. Acro ad Horat. art. poet. 202: Varro ait in tertio disciplinarum et ad Marcellum . . . foraminum. quare quaterna tantum foramina antiquae tibiae habuerunt. alii dicunt non plus quam tria. Comm. Cruqui ad h. u.: Varro in tertio disciplinarum *et* ad Marcellum de lingua latina quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos ait, et se ipsum in Marsyae templo eas uidisse refert.

60B. Seru. ad Verg. Aen. VIIII 618: Tibiae aut serranae dicuntur, quae sunt pares et aequales habent cauernas, aut Phrygiae, quae et impares sunt et inaequales habent cauernas . . . ut enim ait Varro: tibia Phrygia . . . alterum grauem.

61. Gell. XVIII 12, 1: Id quoque habitum est in oratione facienda elegantiae genus, ut pro uerbis habentibus patiendi figuram agentia ponerent ac deinde haec uice inter sese mutua uerterent . . Varro libris quos ad Marcellum de lingua latina fecit: in priore . . . reliquae mutant inquit elegantissime pro mutantur.

62. Gell. XVI 12, 1: Cloatius Verus in libris, quos inscripsit

1 rithmihi temporibus syllabis *L* || 4 tibias *om. P = cod. Paris. 7975 saec. XI cuius Alfredus Holderus mecum communicauit lectiones* || antiquos. & Nam & si ipsum *P* || 5 in templo Marsiae *Paulyus uolg.* in marsiae templo *P* || ·IIII· *P* || 6 phrigia *cod. Regin. 1674 saec. X* frigia *cod. Paris. 7929 saec. X* || 10 *de codd. uid. adnot. ad fr. 36* fenerator *L V* || sicuti *V* uti *L* || tercio *L* || 11 latine *L* || foenore *L* fenore *V* || est *V* esse *L* || fęnus *L* fenus *V* ||

ctum ait a fetu et quasi a fetura quadam pecuniae parientis atque increscentis. idcirco et M. Catonem et ceteros aetatis eius feneratorem sine A littera pronuntiasse tradit, sicuti fetus ipse et fecunditas appellata.

63 Vtrumque mulieres et epicrocum uiri quoque habitarunt.

IIII

64* Rhythmus est pedum temporumque iunctura uelox

uerborum a graecis tractorum, non pauca hercle dicit curiose et sagaciter conquisita neque non tamen quaedam futilia et friuola . . . in libro quarto 'faenerator' inquit 'appellatus est quasi φαινεράτωρ ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἐπὶ τὸ χρηστότερον, quoniam id genus hominum speciem ostentent humanitatis et commodi esse uideantur inopibus nummos desiderantibus' idque dixisse ait Hypsicratem quempiam grammaticum, cuius libri sane nobiles sunt super his, quae a graecis accepta sunt. siue hoc autem ipse Cloatius siue nescio quis alius nebulo effutiuit, nihil potest dici insulsius. faenerator enim sicuti . . . fecunditas appellata. Non. p. 54: faenus ab eo dictum est, quod pecuniam pariat increscenti tempore quasi fetus aut fetura. nam et graece τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod est parere. Varro libro III de latino sermone: foenus autem dictum a foetu, et quasi foetura quadam (foeturam quandam *W*) pecuniae. nam et Catonem et ceteros antiquiores sine A littera faenus pronuntiasse contendit, ut fetus et fecunditas. *cf.* Varr. de l. l. VII 96 p. 373. Fest. Pauli p. 86: fenus et feneratores et lex de credita pecunia fenebris a fetu dicta, quod crediti nummi alios pariant ut apud graecos eadem res τόκος dicitur. *cf.* p. 94: fenus.

63. Non. p. 318: Habitare est inhabitare habere uti. Varro *de* sermone latino libro III: utrumque . . . habitarunt.

64*. Mar. Vict. I 10, 1 p. 2484 P.: Rhythmi origo de arsi et thesi manare dinoscitur. nam rhythmus est . . . numerus dicitur. Diom. p. 473, 21: rhythmus est pedum temporumque iunctura cum leuitate sine modo. Augustin. de musica III 1, 2. I p. 581 ed. congr. S. Mauri: quoniam oportet distingui etiam uocabulis ea quae re ab se distincta sunt, scias illud superius genus copulationis rhythmum a graecis, hoc autem alterum metrum uocari, latine autem dici possent illud numerus, hoc mensio uel mensura. sed quoniam haec apud nos nomina late patent et cauendum est, ne ambigue lo-

1 ait *om.* *L* || ad fętu *L* || pecunię *L* pecunie *V* || 2 et in catoneinne ceteros *L* || 3 etatis *V* || sine A] A *om.* *V* || pronunciasse *L* || fęcunditas *L* ||

diuisa in arsin et thesin, uel tempus quo syllabas metimur. latine numerus dicitur.

65* Metrum est compositio pedum ad certum finem deducta uel rhythmus modis finitus.

66 Alienum pedem metra nisi recipiant modus non facile finitur et magis rhythmus est quam metron. et Varro

quamur, commodius utimur graecis. uides tamen ut opinor, quam recte utrumque nomen his rebus sit impositum, nam quoniam illud pedibus certis prouoluitur peccaturque in eo si pedes dissoni misceantur, recte appellatus est rhythmus id est numerus, sed quia ipsa prouolutio non habet modum, nec statutum est in quoto pede finis aliquis emineat, propter nullam mensuram continuationis non debuit metrum uocari. hoc autem utrumque habet, nam et certis pedibus currit et certo terminatur modo. itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam rhythmus est propter pedum rationabilem connexionem. quocirca omne metrum rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est. de ord. II 14, 40. I p. 417: quod autem non esset certo fine moderatum, sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus curreret, rhythmi nomine notauit (ratio), qui latine nihil aliud quam numerus dici potuit. *cf.* Atil. Fortun. p. 2689 P. 337 G. Isidor. orig. I 38, 3: uersui adhaeret rhythmus, qui non est certo fine moderatus, sed tamen rationaliter ordinatis pedibus currit, qui latine nihil aliud quam numerus dicitur. Quint. VIIII 4, 55: rhythmi neque finem habent certum nec ullam in contextu uarietatem, sed qua coeperunt sublatione ac positione ad finem usque decurrunt.

65*. Mar. Vict. I 12, 1 p. 2493 P.: Metrum . . . deducta seu dictionum quantitas et qualitas pedibus terminata, uel . . . finitus. Diom. p. 474, 2: metrum est conpositio pedum ordine statuto decurrens modum positionis sublationisque conseruans. *cf. Augustini uerba ad fr. 64*.* Isidor. orig. I 38, 1: metra uocata, quia certis pedum mensuris atque spatiis terminantur, neque ultra dimensionem temporum constitutam procedunt. mensura enim graece μέτρον dicitur. *cf. Atil. Fortun. l. s. s.*

66. Diom. p. 512, 37: alienum autem pedem . . . et regulam. Mar. Vict. I 10, 3 p. 2484 P.: differt rhythmus a metro, quod metrum in uerbis, rhythmus in modulatione ac motu corporis sit, et quod metrum pedum sit quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam, et quod metrum certo numero syllabarum uel pedum finitum sit, rhythmus autem numquam numero circumscribatur. Diom. p. 474, 5: distat metrum a rhythmo, quod metrum certa qualitate ac numero syllabarum temporumque finitur, certisque pedibus constat ac clauditur, rhythmus autem temporum ac syllabarum pedumque congruentia in (*sic B*) infinitum multiplicatur ac profluit.

1 arsi et thesi *P* || 5 recipiantur *M* || modos *B* ||

dicit inter rhythmum, qui latine numerus uocatur, et metrum hoc interesse quod inter materiam et regulam.

67 Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Attium: 'an haec iam obliti sunt Bruges?'. nonnumquam ab his initium fit, ut apud Caecilium: 'di boni quid hoc?', apud Terentium: 'discrucior animi'.

Char. p. 289, 15: nihil est inter rhythmon et metron nisi quod rhythmos est metrum fluens, metron autem sit rhythmos clausus. Augustin. de mus. V 1, 1. I p. 617 ed. congr. S. Mauri: interesse animaduerterunt inter rhythmum et metrum aliquid, ut omne metrum rhythmus, non etiam omnis rhythmus metrum sit. omnis enim legitima pedum connexio numerosa est, quam quoniam metrum habet, non esse numerus nullo modo potest, id est non esse rhythmus. sed quoniam non est idem, quamuis legitimis pedibus nullo tamen certo fine prouolui, et item legitimis progredi pedibus sed certo fine coerceri, haec duo genera etiam uocabulis discernenda erant, ut illud superius rhythmus tantum proprio iam nomine, hoc autem alterum ita rhythmus ut metrum etiam uocaretur. *cf.* Atil. Fortum. p. 337 G. p. 2689 P. Quint. VIIII 4, 50.

67. Rufin. comm. in metr. Terent. p. 2707 P. 379 G.: Varro in VII (in septimo *A* VII *B*): c l a u s u l a s   q u o q u e . . . d i s c r u c i o r   a n i m i. idem Varro in eodem libro VII de lingua latina ad Marcellum sic dicit e. q. s. (*fr. 73*). Mar. Vict. I 17, 1 p. 2503 P.: nunc de metrorum prout uersus processerit praescripto et legitimo fine clausulaque dicemus. nam metrica lege in fine uersuum quadripartita conclusio est, per quam exitus metri statusque dinoscitur, utrum pede seu semipede uel dipodia sit terminatum. hanc graeci κατάληξιν uocant, id est cum legitimum metrum in syzygia simplicem pedem, in monopodia uero, id est in simplici pede syllabam perdit. II 3, 38 p. 2524 P.: quod uero ad clausulas id est minuscula cola pertinet, quot genera uersuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt et (*scr.* set) solent in canticis magis quam *in* diuerbiis, quae ex trimetro magis subsistunt, collocari et praecipue apud Plautum et Naeuium et Afranium. nam hi maxime ex omnibus membris uersuum [colis] ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis. *exscripsit Victorinum Rufinus comm. in metr. Terent. p. 2708 P. 381 G.* cf. Fest. Pauli p. 56: Clausula, quam graeci ἐπῳδὸν uocant, a breui conclusione est appellata.

3 *A* = *cod. Parisinus 7496 saec. VIIII (cf. Hertz praef. Prisc. p. X)* *B* = *cod. Parisinus 7501 saec. X* || 4 haec iam haec *deleto altero* haec *A* || 5 Bruges *Ritschelius quaest uarr. p. 34* Phryges *A* phyres *B* || nonnunquam *B* || 6 cecilium *B* || dei *A* dei· (*i ab altera manu in loco eraso scr.*) *B* || Terentium] *Ad. IIII 4, 1* || discrutior *B* ||

68* Consideranda praeterea in metris cola quae latine membra, item comma, quod caesum a nobis proprie dicitur, | quorum differentia talis est. colon est membrum quod finitis constat pedibus, comma autem in quo uel pars pedis est. | partes ergo uersus cum ea qua coniunctus erat parte dissoluitur, cola efficient, cum uero ea qua coniunctus erat parte absciditur, particula quae diuolsa ex eo est comma dicetur: ut in illis uersus soluatur, in his caedatur. * nam periodus, quae latina interpretatione circuitus uel ambitus uocatur, [id est compositio pedum trium uel quattuor uel complurium similium atque dissimilium] ad id rediens unde exordium sumpsit, sicut temporis lustrum uel sacrorum trieteris. ita et in poematis, quando non

68*. Mar. Vict. I 13, 1 p. 2497 P.: Consideranda praeterea . . . proprie dicitur, id est extrema et exigua pars in metris, mensura enim seu modus metrorum huiusmodi accipietur, nam extremum in his atque ultimum, quod mono metron dicitur, constat ex uno pede, maximum uero usque ad periodum decametrum porrigetur, quorum differentia . . . pedis est. erunt itaque cola particulae solutorum metrorum, ut 'arma uirumque cano'. omnis autem uersus κατὰ τὸ πλεῖστον in duo cola diuiditur, abusiue autem et comma dicitur colon. his quidam adiungunt stichum id est uersum sub huiusmodi differentia, ut sit versus qui excedit dimetrum, unde et hemistichium dicitur, colon autem et comma intra dimetrum. erit itaque colon cum integrae fuerint syzygiae, comma uero cum imperfectae. proprie autem graeci cola dicunt, quaecumqne circa iuncturas aut artus porrecta sunt in longitudinem membra, unde Euripides 'καὶ κῶλα κώλοις τετράπουν μιμήσομαι', brachia scilicet et femina. * unde dictum μέλος (*libri* unde dictum μέλος brachia sc. et fem.) * nec in metro *. apud quosdam haec communiter μέλη appellantur, quae nos carmina interpretamur et membra, quia (quae *P*) μέλη graeci diuisa membrorum uocant. partes ergo . . . et uersibus. Aphthon. p. 241 G.: constat μέλος colo et commate. colon est quaedam pars orationis integra pedum compositione coniuncta, cuius pars comma dicitur. erunt itaque cola particulae solutorum metrorum dumtaxat, cum integrae fuerint syzy-

1 *totum hoc capitulum nimis turbatum certo emendari nequit; quae nunc supra leguntur, Wachsmuth constituit. P = cod. Parisinus 7539 (membr. saec. forsitan VIIII) Gaisfordi* || 2 quod] quae *P* || 5 cum ex ea *P* || 6 disoluitur *P* || efficit *P* || 9 cedatur *P* * nam] *ex. gr. poteris* consideranda nunc || quae] qui *P* || 11 complurum *P* || abdissimilium *P* || 12 temporibus *P* || 13 trieterici, uel in *P corr. Vsener* ||

uno uersus omnes metri genere panguntur sed ex uariis uersibus carmen omne compositum per circuitum quendam ad ordinem suum recurrit, περίοδος dicitur *circuitus* omnis hexametri uersus modum excedens [unde ea quae modum et mensuram habent metra dicta sunt]; subsistit autem ex commatis colis et uersibus.

69 Versus est, ut Varroni placet, uerborum iunctura quae per articulos et commata ac rhythmos modulatur in pedes. incipit autem a dimetro et procedit usque ad hexametrum in his dumtaxat uersibus qui per singulos pedes dirimuntur, in illis autem qui per dipodiam, usque ad tetrametrum uel pentametrum, nonnunquam hexametrum procedunt; quibus de diuisione ac scansione suum cuique nomen est. quodsi latine taxatione simplicium senarios trimetros, octonarios uero tetrametros uocauerunt abusiue, uel haec appellatio tenebitur cum sincera et propria significatione graecorum.

Apud nos autem uersus dictus est a uersuris, id est a repetita scriptura ex ea parte in quam desinit. primis enim temporibus, sicut quidam asserunt, sic soliti erant scribere ut cum a sinista parte initium facere coepissent

giae, comma uero cum imperfecta est. omnis autem uersus κατὰ τὸ πλεῖστον in duo cola diuiditur, abusiue autem etiam comma dicitur colon. Mar. Vict. I 19, 1 p. 2508 P.: incisiones uersuum, quas graeci τομὰς uocant, ante omnia in hexametro heroo necessario obseruandae sunt. omnis enim uersus in duo cola formandus est, qui herous hexameter merito nuncupabitur, si conpetenti diuisionum ratione dirimatur.

69. Mar. Vict. I 14, 1 p. 2498 P.: Versus est . . . significatione graecorum. [uersus herous hexameter epos dicatur]. apud nos . . . necessitate diuiduntur, ut apud Vergilium (*georg. III 381*) 'septem subiecta trioni'. pari ratione . . . gu-

1 uno *om. P* || 2 *an* omne *delendum?* || 3 *num* ad exordium suum? || decurrit. Περίοδος dicitur omnis *P* || 4 exametri *P* || unde — sunt] *uncis inclusit Vsener* || 6 commate *P* || 8 ac rhythmos] arythmos *P* || 9 exametrum *infra quoque P* || 11 dipodian *P* || 13 sua cuique *P* || 14 quodsi *Vsener* quos *P* || simplicum *P* || 16 appellatione habebitur *P corr. Vsener* ||

et duxissent ad dextram, sequentem uersum a dextra parte inchoantes ad sinistram perducerent, quem morem ferunt custodire adhuc in suis liris rusticos. hoc autem genus scripturae dicebant βουστροφηδὸν a boum uersatione, unde adhuc in arando, ubi desinit sulcus et unde alter inchoatur, uersura proprio uocabulo nuncupatur. omnis autem uersus ab integra parte orationis incipit et in integram desinit exceptis his, quae in comoediis iculariter dicta corrupta aut semiplena efferuntur aut quae raro apud epicos metri necessitate diuiduntur | pari ratione in uersu et apocope praecepta est, id est subtractio syllabae syllabarumue [cuiuslibet *partis* orationis] metro cogente facta, quae siue in uerbo siue in nomine acciderit, pro integra parte orationis accipietur, ut 'indo sua do' id est in sua domo. item: 'ac famul infimus esset' pro famulo. similiter 'proras detondete et despoliate guberna' id est gubernacula. | uersus autem distat a metro, quod in uersu statim auditur et metrum, in metro autem non statim uersus.

70*

Qui uersus facit *παρὰ τὸ ποιεῖν* dictus est *ποιητής*,

b e r n a c u l a, sicut diximus metri necessitate. u e r s u s a u t e m . . . s t a t i m u e r s u s. Diom. p. 506, 15: uersuum genera praecipua sunt quinque, aut enim dimetri sunt aut trimetri aut tetrametri aut pentametri aut hexametri. Augustin. de ord. II 40. I p. 417 ed. congr. S. Mauri: ne longius pedum cursus prouolueretur, quam eius iudicium posset sustinere, modum statuit (ratio) unde reuerteretur et ab eo ipso uersum uocauit. *cf.* Augustin. de mus. V 3, 4, I p. 619. Isidor. orig. I 38, 2: uersus dicti ab eo, quod pedibus in ordine suo dispositis, certo fine moderantur per articulos, qui caesa et membra nominantur. qui ne longius prouoluerentur, quam iudicium posset sustinere, modum statuit ratio, unde reuerteretur, et ab eo ipso uersus uocatus, quod reuertatur. VI 14, 7: uersus autem uocati uolgo, quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra. a sinistra enim ad dextram primum deducebant stilum, deinde conuertebantur ab inferiore et rursus ad dextram uersus, quos et hodie rustici uersus uocant.

70*. Mar. Vict. I 15, 1 p. 2499 P.: Q u i u e r s u s . . . I l i a s

3 Bostrophen *P* || 8 quae] qui *P* || 9 quae] qui *P* || 12 partis *om.* *P* || 14 *cf. Ennius annal. 563 Vahl.* suam *Charisius ceterique* || 15 *Ennius ann. 317 Vahl.* || a famul *P* || 16 *Lucilius sat. XX fr. 10 Dous.* detendite et spoliate *P* despoliate et detundite *Nonius p. 490* || 19 *τὸ om. P* ||

latina lingua uates dicitur, quod uerba modulatione conectat. uiere enim conectere est, unde uimen dictum uirgulti species et uieti in rotis. poetice est ars ipsa. nam poesis et poema distant eo quod poema uno tantummodo clauditur carmine ut tragoedia [uel rhapsodia], poesis autem ex pluribus est corpus operis confecti ut Ilias Homeri.

71 Mensuram esse in fabulis [hoc est μέτρον] Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero Scaurus Firmianus Varro Victorinus.

72 Trimeter herous ex superiore * * * iambico dixi-

Homeri et Aeneis Vergilii. Diom. p. 473, 16: poetica est fictae ueraeue narrationis congruenti rhythmo ac pede conposita metrica structura ad utilitatem uoluptatemque accommodata. distat autem poetica a poemate et poesi, quod poetica ars ipsa intellegitur, poema autem pars operis ut tragoedia, poesis contextus et corpus totius operis effecti ut Ilias Odyssia Aeneis. Isidor. orig. VIII 7, 3: uates a ui mentis appellatos Varro auctor est uel a uiendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis, et proinde poetae latine uates olim et scripta eorum uaticinia dicebantur, quod ui quadam et quasi uesania in scribendo commouerentur, uel quod modis uerba connecterentur, uiere antiquis pro uincire ponentibus, etiam per furorem. Seru. ad Verg. Aen. III 443: duo genera uaticinandi sunt aut simplex ut Heleni, aut per furorem ut Sibyllae, quia uates a ui mentis appellatos Varro auctor est. Non. p. 428: poesis et poema hanc habent distantiam: poesis est textus scriptorum, poema inuentio parua quae paucis uerbis (*an* uersibus?) expeditur. Lucilius satirarum libro VIIII ... Varro Parmenone: poema est lexis enrhythmos, id est uerba plura modice in quamdam coniecta formam. itaque etiam distichon epigrammation uocant poema. poesis est perpetuum argumentum ex rhythmis. *cf.* Varr. de l. l. VII 36 p. 323. Sueton. fr. 2 Reiff.

71. Rufinus comm. in metr. Terent. p. 387 G. p. 2713 P.: Mensuram esse ... Victorinus Caesius Bassus Terentianus Caecilius Vindex Cinna Sisenna Diomedes Albinus Quintilianus Sosipater Charisius Helenius Asper Caper Arruntius Probus Plinius Euantius (*sic BC*) Sacerdos qui et Donatus Iuba. Seru. de accent. p. 535 Endl.: Terentius rhythmis scribit comoedias uel Plautus.

72. Diom. p. 515, 14: Trimeter herous ... recipere consueuit.

1 quod] qui *P* || 3 uiti *P* || 4 uno *add. O. Iahn* || 6 est] id est *P* || 7 *codicibus quos A et B signaui (cf. adnot. ad fr. 67) accedit hoc loco cod. Vossianus 33, 4 = C* || 8 et ceterorum *B* || 10 Dimeter *ABM* || heroicus ex superiore iambico fit ut *Buschius*

mus. sed hoc Varro ab Archilocho auctum dicit adiuncta syllaba et factum tale: ‘omni potente parente meo’. huic si auferas ultimam syllabam, erunt tales tres pedes, quos prior pars hexametri recipere consueuit.

73 At in extremum senarium totidem semipedibus adiectis fiet comicus quadratus, ut hic: ‘heri aliquot adulescentuli coimus in Piraeo’.

74 Quare in huiuscemodi locis poni oportet notam I transuersam inter syllabas, frequentius ad extremum uersum senarium et similes, si pro longa breuem habebunt

73. Rufin. comm. in metr. Terent. p. 2707 P. 380 G.: idem Varro in eodem libro VII (in eodem septimo *A* eodem VII *B*) de lingua latina ad Marcellum sic dixit: at in . . . in Piraeo. Diom. p. 515, 3: septenarium uersum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambicum trisyllabus pes additur et fit tale ‘quid immerentibus noces quid inuides amicis?’ similis in Terentio (*Hecyr. III 2, 14*) uersus est ‘nam si remittent quippiam Philumenae dolores’. et in Plauto saepius tales reperiuntur. Rufin. p. 378 G. p. 2706 P.: Diomedes sic: ‘septenarium uersum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambicum trisyllabus pes additur et fit tale ‘quid inmerentibus noces, quid inuides amicis?’. similiter in Terentio uersus est ‘nam si remittent quippiam Philumenae dolores’. et in Plauto saepius tales reperiuntur’ . . . (*fr. 74*) . . . Charisius sic ‘septenarium uersum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad iambicum trisyllabus pes additur, ut praefatum est, et fit tale ‘quid inmerentibus noces, quid inuides amicis?’ similis in Terentio uersus est: ‘nam si remittent quippiam Philumenae dolores’. et in Plauto sae pius tales reperiuntur. (et fit — reperiuntur *A om. B*).

74. Rufin. comm. in metr. Terent. p. 2706 P. 378 G.: Varro de lingua latina ad Marcellum sic: quare in . . . popularis Geta.

et, nisi quod hexametro *pro* iambico *cl. Diom. p. 512, 4 correxit, Ritschelius quaest. uarr. p. 35. lacunam indicauit Keilius cui intercidisse uidentur quaedam quibus trimetrum heroum ex superiore parte hexametri in epodis coniungi cum iambico dictum fuit, de qua re dixit Diom. p. 502, 3* || 5 *de codd. uid. adn. ad fr. 67* at *A* aut *B* || 6 fiat *AB* || heri (h *in rasura*) *B Terent. Eun. III 4, 1* || aliquod *AB* || 8 notam ·I· transuersam *A* notam et transuersum *corr. alt. m. in* notam I tranuersam *B* || 9 sillabas *A* || uorsum *B* ||

extremam, ut in hoc: ‘amicus summus meus et popularis Geta’.

75 Octonarius est, ut Varro dicit, cum duo iambi pedes iambico metro praeponuntur, et fit uersus talis: ‘pater meus dicens docendo qui docet dicit docens’.

76 Ex iambico nouum carmen refert Varro cuius exemplum est tale: ‘pedem rhythmumque finit’. si addas hic quae detracta sunt ex iambico, eundem iambicum supplebis sic: ‘pedem rhythmumque finit [alta nauium]’ potest hoc comma tale esse, quale illud: ‘Philumenae dolores’, quod est ex iambico septenario.

77 Archilochium Varro illud dicit, quod est tale: ‘ex litoribus properantes nauibus recedunt’.

78 Latine (scripserunt) de numeris hi: Cicero Victorinus Eusebius Terentianus Varro Probus.

75. Diom. p. 515, 9: Octonarius est . . . dicit docens. tolle hinc primos duos iambos et erit tale quale illud est: ‘ibis Liburnis inter alta nauium’ (*Horat. epod. I 1*).

76. Diom. p. 518, 14: Ex iambico . . . iambico septenario. et illud hinc est comma, quod Arbiter fecit tale: ‘anus recocta uino | trementibus labellis’.

77. Diom. p. 515, 19: Archilochium Varro . . . recedunt. hic superius comma quod est tale [‘ex litoribus properantes’ simile est illi quod est tale]: ‘Troiae qui primus ab oris’, inferius comma, quod est tale ‘nauibus recedunt’ simile est illi quod est tale ‘machinae carinas’.

78. Rufin. de metr. orat. p. 2720 P. 398 G.: Victorinus multa dicit de compositione et numeris et pedibus oratoriis. ut Cicero (*in Oratore*) dicit, isti scripserunt apud graecos Thrasymachus Naucrates Gorgias Ephorus Isocrates Theodectes Aristoteles Theodorus Byzantius Theophrastus [Hieronymus]. latine de numeris . . . Probus Charisius Diomedes Quintilianus Donatus Victor Seruius.

1 amicus] *Terent. Phorm. I 1, 1* || meus *sup. lineam B* || 4 proponuntur *ABM* || 5 dicens *priore loco a* docens *ABM* || 6 Ex *om. ABM* || iambico] iambionicum *Lachmannus in Lucr. p. 276* || 10 phylumenae *BM Terent. Hec. III 2, 14* || 14 hic-c[i]ecero *B* ||

V

79 Prosa est producta oratio a lege metri soluta. prosum enim antiqui productum dicebant et rectum. unde ait Varro, apud Plautum 'prosis lectis' significari rectis. unde etiam quae non est perflexa numero sed recta prosa oratio dicitur, in rectum producendo. | praeterea tam apud graecos quam apud latinos longe antiquiorem curam fuisse carminum quam prosae. omnia enim prius uersibus condebantur, prosae autem studium sero uiguit. primus apud graecos Pherecydes Syrus soluta oratione scripsit, apud romanos autem Appius Caecus aduersus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit. iam exin ceteri prosae eloquentia contenderunt.

79. Isidor. orig. I 37, 1: P r o s a e s t . . . r e c t u m p r o d u c e n d o. alii prosam aiunt dictam ab eo quod sit profusa, uel ab eo quod spatiosius proruat et excurrat nullo sibi termino praefinito. p r a e t e r e a t a m . . . e l o q u e n t i a c o n t e n d e r u n t.

2 *Isidori capituli mihi contulit Vsener codices Bernenses hos: A = cod. 101 B = cod. 224 C = cod. 36 saec. X uel XI D = cod. 95 saec. XII uel XIII* producta *sup. lin. add. ab alt. manu in A* || 4 uaro *A* || l^{c}ētis *D* || significare *BD* || 5 perflexa *AB* per^{p}.lexa *C* perplexa *D* || 6 producenda *D* || preterea *D* || 7 grecos *A* || aput latinos *A* || longe *ab alt. m. add. C* || 8 prosę *AB* *prose C* || p̃rius *C* || condeba^{n}tur *C* || 9 prose *C* || prim; *A* || grecos *AD* || 10 ferecides *ABCD* || syrus *AD* sirus *BC* || oration̄ *B* || *recte iudicauit Vsener quae uolgo leguntur cap. 38, 12 quondam uerbis nostris adscripta fuisse, praue relata ad § 11* 'ante Pherecydem'; *sunt autem haec:* hoc (hunc *AB*) apud graecos Hecataeus Milesius (achatesius milesius *A* acatesius melesius *B* acathes milesius *ras. trium litterarum post* acathes *D*) fertur primus conposuisse uel ut alii putant Pherecydes Syrus (ferecides sirus *ABD*). *de C tacet Vsener* || apius *C* || caecus *A* cecus *CD* c&us *B* || pirrum *ABCD* || 12 prius^{M} *M alt. m. add. A* prius *C* || exhinc & caeteri *A* exhinc & ceteri *BCD* || po^{r}se aeloquentia · condiderunt *C* ||

80 Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi sunt tria probabilia, quae graeci *χαρακτῆρας* uocant nominaque eis fecerunt *ἁδρόν ἰσχνόν μέσον*. nos quoque quem primum posuimus uberem uocamus, secundum gracilem, tertium mediocrem. uberi dignitas atque amplitudo est, gracili uenustas et subtilitas, medius in confinio est utriusque modi particeps.

His singulis orationis uirtutibus uitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulacris falsis ementiuntur. sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squalentes et ieiuni dici pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus. uera autem et propria huiuscemodi formarum exempla in latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. sed ea ipsa genera dicendi iam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus: magnificum in Vlixe et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore.

Animaduersa eadem tripertita uarietas est in tribus philosophis, quos Athenienses Romam ad senatum lega-

80. Gell. VI 14, 1: Et in carmine ... et sobria. unumquodque autem genus ut diximus, cum caste pudiceque ornatur fit illustrius, cum fucatur atque praelinitur fit praestigiosum. Macrob. sat. I 5, 14: illos dico quos Athenienses quondam ad senatum legauerant impetratum uti multam remitteret, quam ciuitati eorum fecerat propter Oropi uastationem. ea multa fuerat talentum fere quingentum. erant isti philosophi Carneades ex academia, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus, quos ferunt seorsum quemque ostentandi gratia per celeberrima urbis loca magno conuentu hominum dissertauisse. fuit ut relatum est facundia Carneades uiolenta et ra-

1 *R* = *cod. Lugdun. Rottendorfianus Gronou. 21 saec. XII (cf. Hertz ber. d. berlin. acad. 1847 p. 411) quem ipse contuli* in soluta] in *om. R* || 2 ‚pabilia' (*corr. ex* babilia) eis fecerunt tria ũ nos primum uberem uocamus *om. reliquis R* || 5 atq: atq: *R* || 8 uicia *R* || 10 emenciuntur *R* || 12 propria] ‚p^{i}a *R* || 20 filosophis *R* || atenienses *R* || senatum populi legrauerunt imperatum *R* ||

uerant impetratum, uti multam remitteret, quam fecerat is propter Oropi uastationem. ea multa fuerat talentum fere quingentum. erant isti philosophi Carneades ex academia, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus. et in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore, sed ante ipsi seorsum quisque ostentandi gratia magno conuentu hominum dissertauerunt. tum admirationi fuisse aiunt Rutilius et Polybius philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. uiolenta, inquiunt, et rapida Carneades dicebat, scita et teretia Critolaus, modesta Diogenes et sobria.

81 *Ἤθη*, ut ait Varro de latino sermone libro V, * * nullis aliis seruare conuenit, inquit, quam Titinio Terentio Attae. *πάθη* uero Trabea, inquit, Atilius Caecilius facile mouerunt.

'Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo, mori me malim. sentiet qui uir siem': praecise, inquit Varro, generat animi passionem. quod noui generis cum non sit interiectio sed ademptio, tamen interiecti animi causa uocitamus. 'tu me homo adigis ad insaniam' irascentis et haec oratio est, licet nulla sit interiecta particula. 'tun consulis quicquam'? et haec irascentis oratio est. 'tremo horreoque postquam aspexi hanc' adfectus ob amorem. 'heus heus pater, heus Hector' a

pida, scita et tereti Critolaus, modesta Diogenes et sobria. sed in senatum introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore.

81. Char. p. 241, 27: *Ἤθη* u t a i t . . . a d f e c t u s e s t. *cf.* Isidor. orig. II 14.

1 remitterent *R* || fecerant *R* || 2 uastacionem *R* || 5 cecilio *R* || 7 disseritauerunt *R* || admiracioni *R* || 8 polibius *R* || 9 rapida capida *del.* capida (ta *suprascr.*) *R* || 10 terecia *R* || modesdiogenes *R* || 12 *lacunam signauit O. Iahn* || nullis aliis *Ritschelius parergon plaut. I p. 194* nullus ali *N* || 13 atte pathe *N* || 15 egone] *Ter. Eun. I 1, 20* || illam quae] illamq: *N* || 17 praecisę *N* || 19 tu me] *Terent. Ad. I 2, 31* || 21 tun] *Ter. Ad. I 2, 47* || 22 tremo] *Ter. Eun. I 2, 4* || 23 adolere *N* ||

dolore mentis adfectus. 'mane mane, porro ut audias' cupiditatis adfectus est.

82 Id praesente legatis omnibus exercitui pronuntiat.

83 Later lutum iugmentatum.

84 Auctore M. Varrone is demum latine caper dicitur qui excastratus est.

85 Iterum ex gallo gallinaceo castrato fit capus.

86 Poscere est quotiens aliquid pro merito nostro deposcimus, petere uero est cum aliquid humiliter et precibus postulamus.

82. Donat. in Ter. Eun. IIII 3, 7: *Nescio quid profecto absente nobis turbatumst domi*: aut subdistinguendum est et subaudiendum 'me' aut ἀρχαισμὸς figura est 'absente nobis' pro nobis absentibus. Pomponius: 'sine ergo istuc praesente amicis inter cenam'. Varro ad Marcellum (Varro Marcello *codd. omnes* Varro in Marcellum *uolg.*): id praesente . . . pronuntiat.

83. Char. p. 135, 17: Later an lateris? et huic nominatiuum singularem ablatiuus restituet singularis, si E litteram deponat. Varro de sermone latino V: later . . . iugmentatum.

84. Gell. VIIII 9, 8: Quo pacto diceret (Vergilius) τὸ καλὸν πεφιλαμένε, uerba hercle non translaticia, sed cuiusdam natiuae dulcedinis? hoc igitur reliquit et cetera uertit non infestiuiter (*Theocr. III 3 sq. Verg. buc. III 64 sq.*), nisi quod caprum dixit quem Theocritus ἐνόρχαν appellauit. auctore enim M. Varrone . . excastratus est. cf. Varr. de l. l. V 97 p. 99. rer. rust. II 3, 7. Fest. Pauli p. 48: Caprae.

85. Char. p. 103, 26: Capo dicitur nunc, sed Varro de sermone latino iterum ait ex . . . fit capus. Beda qui uoc. de orthogr. p. 2780 P.: capo nunc, sed Varro de sermone latino ait: ex gallo gallinacio castrato fit capus. *cf.* Varro rer. rust. II 7, 15.

86. Seru. ad Verg. Aen. VIIII 194: Poscere est secundum Varronem quotiens . . . postulamus.

1 adfectae *N et edit.* || 3 exercitu *codd. ut Schopenius mecum communicauit: num seruandum coll. Prisciano VII p. 363, 6?* || 4 iugmenta *N* || 5 de *codd. VB uid. adnot. ad fr. 36. 54* M. Varrone] ·H· Varrone *V* Varrone *B* || 8 quoties *cod. Regin. 1674 saec. X* || precibus *cod. Paris. 7929 saec. X* cum precibus *Regin.* ||

87 Domi suae.

88 Mutuo, ut Varro de sermone latino libro V loquitur, in consuetudine est, mutue, uero ut docte scribendum putat.

89 Coram de praesentibus nobis, palam etiam de absentibus.

90 Quando particulam pro cum ponere Formianos et Fundanos ait Varro.

DE GRAMMATICA

91 Vt Varroni placet, ars grammatica, quae a nobis litteratura dicitur, scientia est eorum, quae a poetis historicis

87. Char. p. 126, 22: D o m i s u a e Varro de sermone latino libro V. nec enim potest aduerbium dici cui suae pronomen adest. Cato de multa contra L. Furium 'domi meae saepe fuit' et est genetiuus.

88. Char. p. 205, 15: M u t u o u t . . . s c r i b e n d u m p u t a t. nec non et illi qui de differentiis scribunt.

89. Seru. ad Verg. Aen. I 595: Coram nonnulli ad personam, ut 'coram uiro', palam ad omnes referri uolunt, ut 'palam omnibus'. Varro: c o r a m . . . a b s e n t i b u s. sane coram quidam aduerbium putant, quia non subsequitur casus, quidam praepositionem loquentis, non casibus seruientem. Suet. p. 286 Reiff.: palam omnium praesentiam notat, coram personam accipere desiderat. Isidor. diff. uerb. 91: inter coram et palam: coram ad personam refertur, dicimus enim coram illo, palam autem personae caret, quia id ipsum significat quod omnes sciunt. ergo coram ad personam certam refertur, palam ad omnes. *cf. Donat. ad Ter. Ad. IIII 3, 17.*

90. Char. p. 111, 23: Q u a n d o . . . V a r r o, sed et alii faciunt nec sine exemplo, nam Plautus in Menaechmis (*III 3, 23*) ita ait 'non habeo. at tu quando habebis, tum dato'. uitium tamen esse non dubium est. *cf.* Fest. p. 258 a. quando.

91. Mar. Vict. I 1, 6 p. 2541 P.: V t V a r r o n i . . . i n t e l l e-

3 consuetudine] cognomine *N* || mutuę *N* || docte sic putant *N* || 5 presentibus *cod. Cassellanus, in ceteris Varronis uerba desunt* || 7 formianus et fundanius ait ut uarro *N* ||

oratoribusque dicuntur ex parte maiore. eius praecipua officia sunt quattuor ut ipsi placet: scribere legere intellegere probare.

92 Audiri absentium uerba non poterant. ergo illa ratio peperit litteras, notatis omnibus oris ac linguae sonis atque discretis. nihil autem horum facere poterat si multitudo rerum sine quodam defixo termino infinite patere uideretur. ergo utilitas numerandi magna necessitate animad-

gere probare. Diom. p. 426, 18: tota grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione. *cf.* Seru. in Donat. p. 512 Endl. Mart. Cap. III 230 p 51 Gr.: officium meum (*grammatica loquitur*) tunc fuerat docte scribere legereque. nunc etiam illud accessit, ut meum sit erudite intellegere probareque. Max. Victor. p. 271 Lind. p. 1937 P.: grammatica est scientia interpretandi poetas et recte loquendi scribendique ratio, dicta ἀπὸ τῶν γραμμάτων [id est ab his litteris] unde incipere debet.

92. Augustin. de ord. II 12, 35. I p. 415 ed. congr. S. Mauri: illud quod in nobis est rationale, id est quod ratione utitur et rationabilia uel facit uel sequitur, quia naturali quodam uinculo in eorum societate astringebatur, cum quibus illi erat ratio ipsa communis nec homini homo firmissime sociari posset nisi colloquerentur atque ita sibi mentes suas cogitationesque quasi refunderent, uidit esse imponenda rebus uocabula id est significantes quosdam sonos, ut quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete uterentur. sed audiri absentium . . . praesentia recolo. progressa deinde ratio animaduertit eosdem oris sonos, quibus loqueremur et quos litteris iam signauerat, alios esse qui moderato uarie hiatu, quasi enodati ac simplices faucibus sine ulla collisione defluerent, alios diuerso pressu oris tenere tamen aliquem sonum, extremos autem qui nisi adiunctis sibi primis erumpere non ualerent. itaque litteras hoc ordine, quo expositae sunt: uocales semiuocales et mutas nominauit. deinde syllabas notauit, deinde uerba in octo genera formasque digesta sunt, omnisque illorum motus integritas iunctura perite subtiliterque distincta sunt, inde iam numerorum et dimensionis non immemor, adiecit animum in ipsas uocum et syllabarum uarias moras atque inde spatia temporis alia dupla alia simpla esse comperit, quibus longae breuesque syllabae tenderentur. notauit etiam ista et in regulas certas disposuit. poterat iam . . . necessario pertineret. *cf.* de mus. II 1, 1. I p. 564. Mart. Cap. III 229 p. 50 Gr.: tunc illa, ut familiare habebat exponere percunctata et docere facile quae ab eadem quaerebantur, penula a dextra cum modestia uerecundiaque releuata (*sic codd.: B = Bambergensis et D = Darmstadiensis, quos ipse contuli*) sic coepit: γραμματικὴ dicor in

uersa est. quibus duobus repertis nata est illa librariorum et calculonum professio, velut quaedam grammaticae infantia, quam Varro litterationem uocat; [Graece autem quomodo appelletur non in praesentia recolo]. |

Poterat iam perfecta esse grammatica, sed quia ipso nomine profiteri se litteras clamat, unde etiam latine litteratura dicitur, factum est, ut quicquid dignum memoria litteris mandaretur ad eam necessario pertineret.

93 Grammaticae officia, ut adserit Varro, constant in partibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio. lectio est uaria cuiusque scripti enuntiatio seruiens dignitati personarum exprimensque animi habitum cuiusque.

Graecia, quod *γραμμὴ* linea et *γράμματα* litterae nuncupentur, mihique sit attributum litterarum formas propriis ductibus lineare. hincque mihi Romulus litteraturae nomen ascripsit, quamuis infantem me litterationem uoluerit nuncupare, sicut apud graecos *γραμματιστικὴ* primitus uocitabar, tunc et antistitem dedit et assectatores (*B* assectores *b*) impuberes aggregauit. cf. Ioann. Saresb. metalog. I 21. V p. 60 Giles. Asper. p. 309 Lind. p. 1725 P. (*cf. supra p. 100*): grammatica est scientia recte scribendi enuntiandi interpretandique rationem (*sic cod. Vatican. 1492 chart.*) uerborum. quam Terentius (et *add. Vat.*) Varro primum ut adhuc rudem appellatam esse dicit litterationem (litteraturam *Vat.*). Isidor. orig. I 3, 1: primordia grammaticae artis litterae communes existunt, quas librarii et calculatores secuntur. quorum disciplina uelut quaedam grammaticae artis infantia est, unde et eam Varro litterationem uocat. *cf.* I 5, 1. Diom. p. 421, 9: artium genera sunt plura, quarum grammatice sola litteralis est, ex qua rhetorice et poetice consistunt. idcirco litteralis dicta, quod a litteris incipiat. nam et grammaticus latine litterator est appellatus et grammatica litteratura, quae formam loquendi ad certam rationem dirigit. Quint. II 1, 4: et grammatice, quam in latinum transferentes litteraturam uocauerunt, fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, prouecta. nam tenuis a fonte assumptis historicorum criticorumque uiribus pleno iam satis alueo fluit, cum praeter rationem recte loquendi non parum alioqui copiosam prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.

93. Diom. p. 426, 21: Grammaticae officia . . . lectio est artificialis interpretatio uel uaria cuiusque . . . enarratio est obscurorum sensuum quaestionumue explanatio uel exqui-

12 expremensque *A* exp̄mensque *M* expraemensque *B* || 12—*p.* 211, 1 cuisque narratio *A* cuius narratio *BM* ||

enarratio est exquisitio, per quam unius cuiusque rei qualitatem poeticis glossulis exsoluimus. emendatio est recorrectio errorum, qui per scripturam dictationemue fiunt. iudicium est aestimatio, qua poema ceteraque scripta perpendimus.

94 Nomen unius cuiusque litterae omnes artis latores praecipueque Varro neutro genere appellari iudicauerunt et aptote declinari iusserunt.

95 Litterarum partim sunt et dicuntur ut A et B; partim dicuntur neque sunt ut H et X, quaedam neque sunt neque dicuntur ut *Φ* et *Ψ*.

sitio per . . . emendatio est qua singula prout ipsa res postulat dirigimus aestimantes uniuersorum scriptorum diuersam sententiam uel recorrectio errorum . . . iudicium est quo omnem orationem recte uel minus quam recte pronuntiatam specialiter iudicamus uel aestimatio qua . . . perpendimus. Max. Victor. p. 272 Lind. p. 1938 P.: grammaticae officia sunt quatuor: lectio enarratio emendatio iudicium. lectio quidem est secundum accentus ad sensum necessitatemque pronuntiatio. enarratio est secundum poetae uoluntatem uniuscuiusque discretionis explanatio. emendatio est errorum apud poetas et figmentorum reprehensio. iudicium est bene dictorum comprobatio.

94. Prob. instit. art. p. 48, 35: Nomen litterae est quo appellatur. sane nomen unius cuiusque . . . declinari iusserunt.

95. Cassiodori Cornut. p. 576B Garet. p. 2286 P.: Praeterea in libro qui est de (*sic A*, qui est in *B*) grammatica Varro cum de litteris dissereret, HA (ita. h. *libri*) inter litteras non esse disputauit. quod multo minus mirum, quam quod X quoque litteram esse negat. in quo quid uiderit nondum deprehendi. ipsius uerba subiciam: litterarum partim . . . ut *Φ Ψ*. Mar. Vict. I 3, 12 p. 2452 P.: nec dubitatur his litteris omnibus absque sola V remotis, latinae linguae reliquas decem et septem posse satis facere. nam pro H adspirationis nota, ut graeci faciunt, poni posset F et P et eadem aspiratio compleretur . . . X autem per C et S possemus scribere. *cf.* I 3, 8. 10. 4, 77. Donat. I 2, 4 p. 1736 P. Serg. in Donat. p. 1829 P.

1 exquisitio *AB* adquisitio *M* || 3 dictionemue *ABM* || 9 *de codd. uid. adnot. ad fr. 43* ut A et B et h et x partim sunt quę neque dicuntur. quędam *AB* || 10 ut phi · y *B* ut phi · ψ · *A* ||

96 Probus et Varro, alter eorum in duas partes scribit et reliquas subiectas facit, alter in quattuor prout quisque potuit sentire.

97 Lac non debemus dicere sed lact.

98 Glossemata ut toreumata enthymemata noemata schemata poemata et his similia omnia Varronis regula, inquit Plinius, datiuo et ablatiuo plurali in BVS dirigit, quia singularis ablatiuus E littera finiatur.

96. Cledon. comm. in Donat. p. 1861 P.: De partibus orationis. Probus et . . . potuit sentire. nos uero conuenit Donati sequi auctoritatem.

97. Pomp. comm. art. Don. XVIII 2 p. 233 Lind.: Nominatiuus tredecim litteris terminatur . . . (Donatus) adiecit C. ut allec aut lac, de quo dubitatur. hoc dixi saepius. multi dicunt (*num* inquirunt?) utrum lac dicamus an lact. et reuera si quaeras, hoc rite facit nec aliud. nam si dixeris lac, erit genetiuus lacis, quemadmodum allec allecis. lectum est hoc saepius praecipue apud Varronem. ille dicit: lac non . . . lact. sed dixit Caesar contra ipsum rem ualentissimam, nullum nomen duabis mutis terminari. C et T duae mutae sunt, ergo exclusi sumus ab illa regula. superest, ut sequamur regulam Plauti, lacte ut dicamus. Habemus in Bacchidibus (*19*): 'sicut lacte lactis simile'. Diom. p. 303, 3: omnia nomina latina nominatiuo casu singulari litteris duodecim extremis terminantur . . . sunt qui addunt C ut lac, quod Varro (doctissimus *add. Keil.*) artis grammaticae exterminat. Cledon. comm. in Donat. p. 1904 P.: 'ut allec uel lac uel lacte', quia uolunt dicere quod lacte dicitur in nominatiuo singulari iuxta Plautum. 'lact' (lacte *libri*) ait Varro * * * non dici, numquam enim nomen ex duabus mutis terminatur. occurrit (*sic Vsener pro* aut currit.) 'hoc lacte', quod dicit Plautus (*fr. Bacch. 19 Ritschl.*) 'sicut (ut sit *libri*) lacte lactis', non 'sicut *lac* lactis'. auctoritas Vergilii tamen lac dixit. *cf.* Varro l. l. V 104 p. 106. Prob. cath. p. 7, 5. Varr. Andabatis ap. Non. p. 483 u. lacte.

98. Char. p. 131, 10: Glossemata ut . . . littera finiatur. melior tamen ratio est, quam sub A littera dedi; et ideo haec et eiusmodi ex alia formula genetiuum pluralem et ex alia datiuum sumunt, horum glossematum his glossematis. *cf.* p. 123, 3.

1 *B = cod. Bernensis 380 litteris uncialibus perscriptus saec. VI uel VII* Vasso altereutrum (eorum *suprascr.*) *deleto* e (eorum *man. rec. suprascr.*) *B* || nouas *in mg. man. altera:* in duas *B* || an *discribit?* || 4 *A = cod. Sangermanensis 1180 B = cod. Sangerm. 1179, uterque saec. VIIII uel X* lac non *A* lac non *rasura unius litterae post* lac *B* || 5 ENΘYMHMATA NOHMATA CKHMATA *N* || 7 derigit *N* ||

99 Sunt autem pronomina finita *tria* [ego tu ille], infinita septem, minus quam finita sex, possessiua quinque. et haec sunt pronomina. in rerum natura plus non inuenies. omnia pronomina quae sunt inuenta in latina lingua ista sunt: finita sunt tria: ego tu ille, infinita septem: quis qualis talis tantus quantus quotus totus, minus quam finita sunt sex: ipse iste is hic idem sui, possessiua sunt quinque: meus tuus suus noster uester. alia pronomina non inuenies. sed dicere mihi habes: dixisti mihi alia pronomina non inueniri, sed inueni alia. dico tibi: ego dixi, quia non sunt

99. Pomp. comm. art. Don. XVIIII 4 p. 239 Lind.: Sunt autem . . . sed deductiua. Prob. inst. art. p. 131, 25: qualitas pronominum in quattuor formas diuiditur: finita minus quam finita infinita possessiua. finita pronomina sunt, quae notant certum numerum, certam personam. haec tria sunt tantum: ego tu ille . . . minus quam finita forma sex haec pronomina continet tantum: ipse iste is idem sibi hic . . . infinita forma decem nouem haec pronomina continet tantum: qui uel quis quidam quicumque quisquam quisquis quisnam quispiam aliquis nequis siquis qualis qualiscumque talis quantus quantuscumque tantus quotus quotuscumque totus . . . possessiua forma quinque haec pronomina continet tantum: meus tuus suus noster uester. *cf.* Serg. comm. in Don. p. 1847 P. Cledon. comm. in Don. p. 1906 P. Seru. comm. in Don. p. 1785 P.: qualitas pronominum principaliter bipartita est. omnia enim pronomina aut finita sunt aut infinita. finita sunt, quae recipiunt personas, id est quae definiunt personas, et sunt tantum tria: ego tu ille. sed ille plerumque uariatur. nam si ad praesentis personam refertur, tunc recte finitum est, si de absente dicatur, minus quam finitum est. infinita autem pronomina uarias habent species. nam licet omnia quaecumque non recipiunt personas infinita sunt, tamen alia dicuntur generaliter infinita, alia minus quam finita, alia articularia uel demonstratiua, alia possessiua. generaliter infinita sunt, quae unicuique personae aptari possunt, ut est quis, et sunt haec septem tantum: quis talis qualis quantus tantus quotus totus. minus quam finita dicuntur, quae commemorationem habent notarum personarum, ut est ipse. haec sunt sex tantum: ipse iste is hic idem sui . . . possessiua dicuntur pronomina, quae nos aliquid possidere ostendunt, ut est meus tuus . . . sunt autem possessiua pronomina quinque tantum: meus tuus suus noster et uester. absque his pronominibus, quae omnia sunt uiginti et unum, nullum aliud

1 *Huius fragmenti non nisi extrema uerba mihi cum AB, de quibus uid. adnot. ad fr. 97, conlata sunt* || tria *add. et* ego tu ille *uncis inclusit Wachsmuth* || 2 septim *infra quoque G = cod. Guelferbytanus Lindemanni* || 3 inuenis *libri* ||

primigenia quae dicit Varro, sed deductiua. multum interest utrum sit aliquid naturale an aliquid deriuatum.

100 Pronomen quia non fungitur officio nisi praemisso nomine, ideo haec pars a Varrone succedanea dicitur, quia non potest in eadem locutione esse, hoc est quia bis nomen repeti non potest. ordo tamen hic custodiendus est, ut nomen in praecedenti sit loco, pronomen in subiectis.

101 Per C 'cum' aduerbium erit temporis ut: cum uenerit loquemur, cum uoles ibimus, *cum* petieris feres. |

Varro aduerbia localia, quae alii praeuerbia uocant, quattuor esse dicit: ex in ad ab. 'ex' locum significat unde

quod suam originem habeat poterit reperiri, sed si qua sunt compositione fiunt. *cf.* Diom. p. 329, 5.

100. Cledon. comm. in Don. p. 1905 P.: Pronomen quia . . . in subiectis. Seru. comm. in Don. p. 484 Lind.: (pronomina) sunt particulae, quae fastidium repetitionis excluderent succedendo in ipsa nominis significatione. p. 501: pronomen dictum est quasi pro nomine, eo quod fungitur officio nominis . . . et ideo etiam in subiectis locis ponuntur.

101. Ter. Scaur. p. 2262 P.: Per C cum . . . petieris feres. alii sic: quotiens V sequitur, Q ponendum, ut per QVO litteras: mequom tequom quotus quotiens aliquotiens. in ceteris uocalibus id est A E I O (est co *P*) C ponendum, ut * cecidit Cornelius citatus. Varro aduerbia . . . animaduertitur. nam si id quod sequitur, litteram habet primam semiuocalem aut mutam 'e', dictum leuius uidebitur, ut e Gallia et e Tuscia. quotiens uero uocales secuntur in eo quod sequitur A E O, simplicem et eandem habent rationem, quod 'ex' praeponitur; ut in his: ex arce, ex Eryco, ex Olympo, aliter enim fiunt hiulca, ut e arce, e Eryco, e Olympo. si uero in uocabulo quod sequitur princeps littera uel I uel V fuerit, duas habet rationes. nam (unam *B*) si aliqua uocalis proxima coniuncta est in syllaba eadem, tunc sicut, cum est semiuocalis aut

1 primigenia *AB* primogenia *corr. ab alt. man. in* primigenia *G* || 2 aliquid a naturali *AB* || diriuatum *B* deriuatiuum *corr. in* deriuatum *G* || 3 non *om. B de quo uid. ad fr. 96* || 4 barrone *B* || succedanea *Bondamus uar. lect. II 2 p. 115* succedat in ea *B* || 5 poteset *B* || 6 potes *B* || 9 *de cod. uid. adnot. fr. 44* ||

egredimur ut ex area, 'in' locum in quem ibimus ut in aream, 'ad' locum ad quem adimus ut ad parietem, 'ab' locum a quo discedimus ut a pariete. horum duorum aduerbiorum, ex et ab, posteriores literae solent demi, alias recte alias perperam. quando ergo ex, quando e dici oporteat ex consequentibus uocabulis animaduertitur. | item et 'apud' locum significat ut: [accede ad me] qui dominati apud me sunt, apud illum est. 'de' quoque nonnumquam pro 'a' ponitur, et nonnumquam pro 'ex', pro 'a' ut in hoc . . . . 'de prouincia uenire' qui se dicit, nam perperam est, imus enim in prouinciam ut in nauem et in circum, eximus ut e naue e circo sic e prouincia. de prouincia existimamus cum de ea bene aut male praedicamus,

muta, obseruare dixi oportere. ita in his debet fieri, ut est e Vaticano e Iudaea. sin uocabulum duas uocales proxime non habuerit coniunctas, quorum sit littera princeps V aut I proinde atque A E O sit obseruandum, quod potius dici oportet ex Irpinis quam e Irpinis, ex Vmbria quam e Vmbria. similiter in H littera obseruari debet, ut in A E O litteris, ne dicamus e Hymetto (hymaesto *bis B*) sed ex Hymetto. similiter est in 'ab'. quibusdam diligentioribus leuitatis causa solet demi B (p *B*), cum propositum *est* uocabulis aut nominibus locorum. in quibus principes sunt litterae semiuocales aut mutae, eam repudiant: a Baiis, a Capua, a Dertona. contra non demitur B, cum in uocabulis aut nominibus est primum A E O, ut ab Aricia, ab E*l*ea. sin V aut I, duplicem habent rationem. si enim sunt solae, dicuntur ut reliquae uocales: ab Apso ab Illyrico (ababs abilli dico *B*). sin proximas litteras uocales secum habent coniunctas, proinde obseruandum est, an sint semiuocales, an mutae: a Venusia, a Ianiculo. item et . . . pro Roma. singularis numerus per unam I litteram scribitur: docilis facilis, pluralis autem per E et I ut facileis docileis, ut ex hoc appareat singularis utrum (idem *corr. in* item *B*) sit appellatio an pluralis. aureis, quas modo aetheris scribimus, modo quibus audimus (quomodo audimus quibus *B*). nec (ne *B*) minus a nobis I singularis in fraude produci potest, ut uidis (uidi *B*) scribitur. si autem cum eadem I littera, aliud

6 oportet ex consonantib. uocalibus *B* || 7 significandum *B* || 9 pro ex et nonnunquam *B* || pro a ut in hac prouincia ex prouincia uenire *B lacunam significaui qua exempla quaedam praepositionis de pro a positae et uerba:* peccat etiam (*de prouincia uenire e. q. s.*) *excidisse uidentur* || perpera in *B* || 10 ut in circum *B* || 11 eximus in nauę (b *m anu alt. suprascr.*) circo *B* ||

de naue dicimus cum longa an oneraria sit rogamus, de circo cum flaminius an maximus. item uitiose dicitur senatum habere apud aedem Apollinis, quod in aede dici oportet. et 'de senatus sententia' uitiose, nam debent dicere ut ex mea sententia ex tua sententia, sic ex sensatus sententia. item qui dicunt 'de senatu redii' potius quam e senatu, eo quod quo *quom* imus IN dicimus, inde cum redimus dicendum ex. ex senatu eiectus potius quam de senatu. male imperant qui dicunt 'de tabulis quid dicere'. de tabulis enim is dicit qui eas laudat aut culpat, e tabulis is dicit qui quod est in his scriptum recitat scriptumue pronuntiat. si eas uidet, potius dici oportet 'legi', contra quam 'dici', eas literas *si* non spectat. 'a capite dempta' qui uocant male appellant, quod sunt de capite dempta non a capite, 'ad caput additum' recte dicitur si est extra caput quod additur. qui transcribunt tabulas, non describunt

breue, aliud longum est ut illa et pila. apices ibi poni debent ubi iisdem litteris alia atque alia res designatur, ut uenit et uênit, aret et âret, legit et lêgit ceteraque his similia. super I tamen litteram apex non (in *B*) ponitur, melius enim I *in* pIla in longum producetur. ceterae uocales, quia (*an* quae *uel* quom?) eodem ordine positae diuersa significant, apice distinguuntur, ne legens dubitatione impediatur, hoc est ne os hos aedes pronuntiet. Gramm. inc. p. 452 Endl.: praepositiones locorum quattuor uulgo seruantur (*an* asseruntur?): ex in ad ab. duae primae quo itur et unde exitur significant, ut in arcem et ex arce; duae sequentes quo aditur et unde abitur, ut ad simulacrum et ab simulacro. antiqui in duabus praepositionibus ex et ab sequentes demebant litteras, si proximum uerbum semiuocalem primam aut mutam habiturum erat ut: e Galliae locis, quoniam ex minus leuem compositionem facit. hoc consuetudo non conseruat, dicitur enim ex Gallia. illud seruamus, si uocales secuntur ut praeponamus: ex Eryco, ex Olympo. si sequitur I aut V, habetur ratio duplex antiquorum. nam si uocalis aliqua iungeretur, demebant X: e Vaticano e Iudaea. hoc consuetudo non seruat. si per se essent sine aliqua uocali, X adiiciebant, ut ex Illyrico ex Vmbria, item si H praepo-

1 longa aut *B* || 2 flamminius *B* || 3 Apollonis *B* || in aedem *B* || 4 senatu *B* || 7 quod quo inimus *eraso* in *B corr. Vsener* || 8 dicendum ex *om. B* || 9 tabulis · n · his *eraso* h *B* || 10 eas] eius *B* || is] his *eraso* h *B* || 11 scriptum q: pronuntiat̃ *B* || 12 ea *B* || uidet et potius *B* || legi quam dici contra eas litteras non *B corr. Vsener* || 20 capud[t] *B* ||

sed exscribunt, qui quales sunt scribunt ii describunt. a scena uenit spectator, e scena uenit qui egit, contra spectator e theatro, a theatro actor. de scena loquitur qui de ea bene an male ornata sit loquitur, in scena pronuntiat *actor*. qui hoc idem subtilius uult dicere non in scena sed pro scena dicit pronuntiare actorem. nam scena significat graece 'domus', e scena actor exiit, uenit in pulpitum ac uestibulum, pro scena itaque actor est. cum eo uenit dicimus prodire, qui domo excedit procedere, qui ex ea quid ducit producere. pro rostris dici oportet cum is qui contionatur iis dicit qui ante rostra sunt, pro rostris enim et ante idem sunt. in rostra ascendit, e rostris descendit, de rostris dicit qui ea cuiusmodi sint dicit. in contione stat, e contione uenit, de contione dicit. inscribunt quidam literis 'e': datae 'e Gallia', item 'e Roma', uitiose. nam sic dici oportet: 'in Gallia' et 'Romae'. dantur enim in loco, afferuntur e loco, sequitur ut dentur in Gallia et Romae. [praepositio nonnunquam per unam literam scribitur, sed

neretur: ex Hymetto. hoc seruamus et quidem si secuntur uoces, in quibus consonantes primae sunt, detrahimus B, ut a Capua, a Dertona. in quibus uocales secuntur, B praeponimus, ut ab Erycinis ab Atheniensibus. si I aut V sequatur, item ut supra duo seruantur modi. si per se sunt *admittunt*, ut ab Illyrico ab Vrbino, si cum altera uocali amittunt, ut a Venusia a ianitore. *cf.* Sueton. fr. 206 Reiff. Diom. p. 414, 32: ex et ab praepositiones, si sequens uerbum a uocali incipiat, integre efferuntur, ut ex oppido ab illo, si consonantes sequantur, extremam litteram perdunt, ut e foro a Marco. similiter si uocalis sequatur consonantis loco posita, ut a Iunone e uirtute a uino. hae praeterea praepositiones non ut quibusdam uidetur [non *hinc transposuit Christ. Philol. XVIII p. 135*] idem unumque significant. nec enim unum est a theatro uenire et ex theatro. nam qui dicit a theatro non ex ipso theatro sed e loco qui est proximus theatro, qui ex theatro se uenire dicit ex ipso uenit theatro. his praepositionibus contraria potestate sunt ad et in, quae

1 ii describunt] idem tribuunt *B* || 4 actor *add. Wachsmuth* || 5 non in] in *om. B* || 6 a^c^utorem in scena significare *B corr. O. Iahn* || 8 uestibulum. sccena *B* || auctor *eraso* u *B* || 9 eocedit *B* || ex ea] ex *om. B* || quod *B* || 10 his qui concionaturus dicit *B* || 11 pro rostris] prorsus *B* || 15 litere datae *B* || uiciose *B* || 16 Romae. Ceduntur *B* || 17 Roma *B* ||

per diminutionem ut ebibit pro exbibit.] 'ab Roma uenio *μεταπλασμὸς* est pro 'Roma'.

102 Ex his pronominibus sedecim tantum Varro aduerbia eius modi secundum sonorum rationem fieri demonstrauit: ille illic illinc illuc illo, iste istic istinc istuc, hic hic hinc huc, idem ibidem, qui quo, quique quoque, quicumque quocumque, quidam quondam, quispiam uspiam, aliquis aliquo alicubi, qualis qualiter, meus meatim et significat more meo, tuus tuatim et significat more tuo, suus suatim et significat more suo, noster nostratim et significat more nostro, uester uestratim et significat more uestro. ex quibus pronominibus tantum quem ad modum aduerbia fiant, sic uti Varro docuit, demonstrauimus.

DE ANTIQVITATE LITTERARVM AD L. ATTIVM

II

103 Sunt indeclinabilia tam apud graecos elementorum nomina quam apud latinos, siue quod a barbaris inuenta

et ipsae non unum idemque significant, quia in forum ire est in ipsum forum intrare, ad forum autem ire, in locum foro proximum, ut in tribunal et ad tribunal uenire non unum est, quia ad tribunal uenit litigator, in tribunal uero praetor aut iudex.

102. Prob. inst. art. p. 152, 30: De pronomine. ex his pronominibus . . . docuit demonstrauimus. *cf.* Prisc. XV 5 p. 63, 18.

103. Prisc. I 7 p. 7, 27: Sunt indeclinabilia . . . una euanescit.

1 exebibit *B* || ad (*corr. alt. m. in* ab) Roma *B* || 2 ΝΛΘΟΝΛΗ·ΚΑC *B* || 5 istic istinc *rv* istic stinc *R* || hic hic *R* hic hac *B* || 6 quique *B* quicque *R* || 17 elimentorum (ylementorum *G*) nomina tam apud graecos *LG* || aput graecos *H* || 18 quod [a] barbaris *Dd* ||

dicuntur, quod esse ostendit Varro in secundo de antiquitate litterarum, docens lingua chaldaeorum singularum nomina litterarum ad earum formas esse facta et ex hoc certum fieri eos esse primos auctores literarum, siue quod simplicia haec et stabilia esse debent quasi fundamentum omnis doctrinae immobile, siue quod nec aliter apud latinos poterant esse, cum a suis uocibus uocales nominentur, semiuocales uero in se desinant, mutae a se incipientes uocali terminentur, quas si flectas, significatio quoque nominum una euanescit.

* * *

104 Litterae apud maiores nostros non fuerunt XXIII sed XVI. postea additae sunt aliae. ita etiam tractatoris est, ut doceat olim XVI fuisse, postea ex superfluo additas alias litteras et factas XXIII. habemus hoc in libris ad At-

104. Pomp. comm. art. Don. I 7 p. 9 Lind.: Istae litterae apud . . . nominibus uocentur. I 17 p. 27: legimus apud maiores nostros primas apud romanos XI litteras fuisse tantum modo, ut dicit Caesar libro analogiarum primo. [in libro analogiarum Caesar hoc dixit, XI fuisse]. Varro docet in aliis libris quos ad Attium scripsit, sedecim fuisse, postea tamen creuisse et factas esse XXIII. tamen primae quae inuentae sunt fuerunt undecim. postea quae inuentae sunt fuerunt sedecim, postea item XX et tres factae sunt. illic commemoratur, qui illam litteram fecit, qui illam. Prisc. I 12 p. 11, 1: apud antiquissimos graecorum non plus sedecim erant litterae, quibus ab illis acceptis latini antiquitatem seruauerunt perpetuam. Max. Vict. p. 276 Lind. p. 1944 P. (cl. Endlicheri anal. gramm. p. 199): littera est figuratio quaedam, qua cum aliis adnexa uox emissa comprehenditur. Phoenices primi litterarum inuentores fuisse traduntur, quamuis alii Assyrios alii Mercurium apud Aegyptios asserunt. in Graeciam certe Cadmum Phoenicem sedecim attulisse constat α β γ δ ε ι ϰ λ μ ν ξ π ϱ σ τ ω, eis

1 quod esse — auctores literarum] *om. RADH in mg. add. d, in schedula exhibet K* || *ante* esse *O. Iahn* ita *add.* || esse *om. d* || 2 docens — 3 literarum] *om. d* || caldeorum *GK* || 4 eos] eorum *G* || 5 simplitia hec *A* || et *om. K* || 6 inmobile *D* īnmobile *G* || 8 disinant *G* dissinant *K* || mutae *L* || incipientes a se *L* || 9 quas si *d* quasi *AD* || 10 euanescit una *K* || 11 *Ad haec uerba B (cf. adn. ad fr. 97, 99) non conlatus est* || sed sedecim *A* || 12 tractaturus *A* ||

tium apud Varronem, et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus uocentur.

105 Auctoritas tam Varronis quam Macri teste Censorino nec K nec Q nec H in numero adhibet literarum.

DE ORIGINE LINGVAE LATINAE AD CN. POMPEIVM MAGNVM LIBRI III

106 *Οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας ὁ Ῥωμύλος ἢ οἱ κατ' αὐτὸν δείκνυται κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τὴν Ἑλλάδα φωνήν, τὴν Αἰολίδα λέγω, ὥς φασιν ὅ τε Κάτων ἐν τῷ περὶ Ῥωμαικῆς ἀρχαιότητος, Βάρρων τε ὁ πολυμαθέστατος ἐν προοιμίοις τῶν πρὸς Πομ-*

Troiano bello Palamedem addidisse quattuor *η ψ φ χ*, post eum Simonidem melicum totídem *υ ζ ο ϑ*. haec auctore Eaundro, ut quidam uolunt, alii uero Hercule in Italiam a Pelasgis allatae sunt. *cf.* Max. Vict. I 4, 95 p. 2468 P. I 4, 20 p. 2458. Plin. VII. 172.

105. Prisc. I 16 p. 13: A u c t o r ĭ t a s quoque t a m . . . a d h i b e t l i t t e r a r u m. *cf.* Quint. I 4, 9. Vel. Long. p. 2218 P. Ter. Scaur. p. 2252. 2258. 2261. Mar. Vict. I 3, 9 p. 2452 P.: (mutae) sunt numero nomen B C D G H K P Q T. ex his superuacuae quibusdam uidentur K et Q, quia C littera harum locum possit implere. H quoque adspirationis notam non litteram aestimamus. *cf.* I 6, 13 p. 2455. Max. Vict. p. 277 Lind. p. 1495 P. cl. Endl. anal. gramm. p. 200: (mutae) sunt nouem B C D G H K P Q T. duae ex his superuacuae uidentur K et Q, quia C littera eorum locum possit explere. uerum has quoque necessarias orthographiae ratio efficit, ut quotiens A sequitur per K scribendum sit, ut kanna kalendae Karthago, quotiens V per Q ut quoniam Quirites, quotiens reliquae uocales per C ut certus ciuis Commodus. H uero existimatur adspirationis nota, uerum tamen littera est. *cf.* Diom. p. 423, 10. Donat. I 2, 3. 4 p. 1736 P.

106. Ioan. Lyd. de magist. I 5 p. 125 Bekk.: *ὥστε τύραννος ἦν ὁ Ῥωμύλος, πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν ἀνελὼν καὶ τὸν μείζονα καὶ πράττων ἀλόγως τὰ προσπίπτοντα. ταύτῃ καὶ Κυρῖνος προσηγορεύθη οἱονεὶ κύριος, κἂν εἰ Διογενιανῷ τῷ λεξικογράφῳ ἄλλως δοκεῖ (δοκῇ C)· ο ὐ δ ὲ γ ὰ ρ . . . ἐ ν σ π ε ι ρ ά ν τ ω ν φ ω ν ή ν. ἡ γὰρ γραμματικοῖς παρὰ*

2 quare hisdem *A* || 3 autoritas *D* || tam *in mg. add. h* || macri et censorini *GL* teste *in mg. l* || 4 K] f *K ante* K *unius litterae, post* Q *duarum litt.* (ue *ut uidetur*) *litura in R* || nomero *A* || 8 *ἐκείνου corr. ab alt. m. in ἐκεῖνο C = cod. Caseolinus* ||

πήιον αὐτῷ γεγραμμένων, Εὐάνδρου καὶ τῶν ἄλλων Ἀρκάδων εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντων ποτὲ καὶ τὴν Αἰολίδα τοῖς βαρβάροις ἐνσπειράντων φωνήν.

107 Vt Ion scribit quinta uicesima est litera, quam uocant *ἄγγμα*, cuius forma nulla est et uox communis est graecis et latinis, ut his uerbis: aggulus aggens agguilla iggerunt. in eiusmodi graeci et Attius noster bina G scribunt, alii N et G. quod in hoc ueritatem uidere facile *est, in illo* non est, similiter agceps agcora.

ταύτην εἰσαγομένη ἐτυμολογία μετὰ συγγνώμης βεβίασται· ἀπὸ Κύρεως γὰρ πολίχνης Σαβίνων οὕτως αὐτὸν παρονομασθῆναι βούλονται, καίπερ οὐχ ὁρμώμενον ἐκεῖθεν, ἐπὶ δὲ τοῦ Παλατίνου βουνοῦ τεχθέντα τε παρὰ ταῖς ὄχθαις τοῦ Τιβέριδος καὶ τραφέντα ἐκεῖ. κυρίους γὰρ ἑαυτοὺς καὶ δεσπότας, ἀλλ' οὐ βασιλέας τύραννοι φιλοῦσι καλεῖσθαι. cf. Plut. quaest. gr. 59. Max. Vict. p. 276 Lind. p. 1944 P.

107. Prisc. I 39 p. 30, 12: Sequente G uel C pro ea (*scit.* N) G scribunt graeci et quidam tamen uetustissimi auctores romanorum euphoniae causa bene hoc facientes, ut Agchises agceps aggulus aggens, quod ostendit Varro in primo de origine linguae latinae his uerbis: u t I o n . . . a g c e p s a g c o r a. Gell. XVIIII 14, 7: (Nigidi Figuli e commentariis grammaticis) uerba haec sunt: inter litteram N et G est alia uis, ut in nomine anguis et angari et ancorae et increpat et incurrit et ingenuus. in omnibus his non uerum N, sed adulterinum ponitur. nam N non esse lingua indicio est, nam si ea littera esset, lingua palatum tangeret. Mar. Vict. I 4, 70 p. 2465 P.: anceps ancilla angitia angustum anquirit iam dixi Attium non (*sic Ritschl mon. ep. tria p.* 25 non iudicat *cod. P*) per AN, sed more graecorum per AG solitum scribere. nunc adicio, sicut inter M et N

1 *ἀλκάδων C* || 4 latinae linguae *L* || ut Ion — his uerbis] *om. RBH add. r* || scripsit *r* || uicesima quinta *r* uigesima *ex* uicessima *corr. g* uicissima *K* || littera est *r* || 5 agma *codd. Hertzi ἄγγμα ten Brinkius cf. supra p. 127* || 6 ut *om. r* || his in uerbis *r* || aggula *G* uel aggilla *g* aggilla *K* agguila *L* || 7 huiuscemodi *GL* huiusmodi *K* || accius *codd. Hertzi praeter H in quo* actius || binam *GLK* || G] *b* gg *Bg* || 8 ·n·g· *G* || ueritatem facile uidere est, in illo non est *Ritschelius mon. epigr. tria p. 24* || facile — 9 non est] non ^{est} facile *L* non facile est *ceteri* || 9 agceps agcora] *uetus commentator in cod. Darmstad. 204 adnotat ad has uoces:* adhuc sunt uerba uarronis continuata. non enim priscianus ex sua parte diceret similiter agceps agcora. *cf. Ritschelius l. s.*

108 Τὴν ὅλην κατασκευὴν τοῦ περιζώματος οἱ Γάλλοι καρταμέραν, ἣν τὸ πλῆθος καρτάλαμον ἐξ ἰδιωτείας ὀνομάζει. ὅτι δὲ οὐ Ῥωμαικὸν τουτὶ τὸ ῥημάτιον, μάρτυς ὁ Ῥωμαῖος Βάρρων ἐν βιβλίῳ πέμπτῳ περὶ Ῥωμαικῆς διαλέκτου, ἐν ᾧ διαρθροῦται ποία μέν τις λέξις ἐστὶν Αἰολικὴ ποία δὲ Γαλλική, καὶ ὅτι ἑτέρα μὲν ἡ Θούσκων ἄλλη δὲ Ἐτρούσκων, ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή.

DE SIMILITVDINE VERBORVM

II

109 'Pix' singulariter dicitur, ut ait Varro de similitudine uerborum II.

litteram uox media tam graecis desit quam nobis, ita inter N quoque et G deesse. neque enim ut illi *ἄγγελον* et *ἀγκύλην* et similia siue per *N* siue per *Γ* scripserint alterutram in pronuntiando litteram exprimunt, nec nos supradictas uoces siue per N siue per G scribamus, proprie aut N exprimimus in dicendo aut G. quae uox, quoniam ordini litterarum nostrarum deest et familiarior est auribus nostris N potius quam G, et anceps et ancilla et angitia et angustum et anquirit et ancora et similia per N potius quam per G scribite, sicut per duo G, quotiens duorum G sonum aures exigent ut aggerem suggillat suggerendum suggestum et similia. *cf.* I 4, 4 p. 2456. 4, 54 *sq.* p. 2461.

108. Ioan. Lyd. de magistr. II 13 p. 179 Bekk.: *Τοιαύτη μὲν ἡ χλαμύς, παραγώδης δὲ χιτὼν καταπόρφυρος καὶ ζωστὴρ ἐκ φοινικοῦ δέρματος, ἐφ' ἑαυτὸν μὲν ἀνακεκολλημένος, ἐξ ἄκρων δὲ τῶν πλευρῶν εἰς λεπτὴν καταρραφὴν ἐσπουδασμένος καὶ σεληνίσκον μὲν ἔχων τινὰ ἐξ εὐωνύμων χρυσῷ πεποιημένον, ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας γλωσσίδα τινὰ ἤγουν διάβλημα, χρυσοτελὲς καὶ αὐτό, εἰς βότρυος σχῆμα πεποιημένον . . . ὅπερ διάβλημα ἀπὸ δεξίας φερόμενον καὶ ἐπὶ τὸν σεληνίσκον βαλλόμενον διαζώννυσι τὸν περιτιθέμενον ἀσφαλῶς, περόνης καὶ αὐτῆς χρυσῆς ἐνδακνούσης τὸν ἱμάντα καὶ συναπτούσης τὸν βότρυν τῷ σεληνίσκῳ. φίβουλαν αὐτὴν πατρίως οἱ Ῥωμαῖοι καὶ βάλτεον τὸν ζωστῆρα λέγουσι. τὴν δὲ ὅλην . . . ἀπετελέσθη φωνή.*

109. Char. 91, 26: Pix singulariter . . . uerborum II, quamuis Vergilius dixerit (*georg. III 450*): 'idaeasque pices et pingues unguine ceras'. gramm. inc. de generib. nom. 265 p. 93 Haupt. p. 49 Otto: pix, gen. fem., ut Varro: idaeasque pices'.

1 ῥιζώματος *Caseolinus corr. Fussius* || 6 ἡ deleri iubet *Otto Iahn* ||

DE VTILITATE SERMONIS

IIII

110 Aenigmatis Varro de utilitate sermonis IIII. ait enim Plinius: quamquam ab hoc poemate his poematibus facere debeat, tamen consuetudini et suauitati aurium censet summam esse tribuendam et quia graeca nomina non debent latinis regulis alligari.

INCERTAE SEDIS

111 Ablatiuum Varro sextum, interdum latinum appellat, quia latinae linguae proprius est.

112 Curculio. Varro ait hoc nomen per antistoichon dictum quasi gurgulio, quoniam paene nihil est nisi guttur.

110. Char. p. 123, 3: Aenigmatis Varro . . . esse tribuendam, ut in Aceste et Anchise Maroni diximus placitum (*cf.* p. 67, 15), et quia . . . regulis alligari. Consent. p. 2040 P.: secundus modus quo etsi cadunt in regulam regulae tamen ueluti addictae non seruiunt. ea sunt quae semper singularia sunt, ut lux. item quae septimi casus tantum singularia sunt ut sponte tabo. nihil enim prodest esse litteram in his nominibus ablatiuo singulari debitam, cum alia plurali numero non attingant, alia eodem modo non mutent. item graeca quae E littera correpta terminantur, ut ab hoc schemate. hoc enim liberum est nobis et ad nostram regulam declinare ut horum schematum his et ab his schematibus, at in contrarium ducere quae nostra non sunt ut schematum schematis declinemus, sicut plerumque et in Cicerone et in Varrone legimus.

111. Diom. p. 302, 4: Ablatiuum graeci non habent, hunc tamen Varro sextum . . . proprius est, cuius uis apud graecos per genetiuum explicabitur. Consent. p. 2033 P.: ablatiuum casum graeci non habent. denique hunc Varro interdum sextum, interdum latinum appellat, quem rectissime nostri sermonis usus inuenit, qui plurimum a datiuo differt. *cf.* Prisc. V 75 p. 187, 7.

112. Seru. ad Verg. georg. I 186: Curculio Varro . . . nisi guttur. Schol. Bern. ad h. u. p. 28 Muell.: Curculio. Varro ait hoc nomen per antistoichum dictum, quasi gurgulio, genus bestiae, quae semper quaerit alienum auxilium (alimentum [auxilium] *coni. Vsener*).

7 regulis *iam legi non potest in N add. Fabricius* ||

CORRIGENDA ET ADDENDA

p. 3	*u.* 2	*inf.*	*lege*	Aristophanem
» 8	» 11	*inf.*	»	*τἀληθῆ*
» 19	» 10	*inf.*	»	posuisse
» 21	» 3	*inf.*	»	in libro XXIIII
» 23	» 18		»	saeculum
» 26	» 5	*inf.*	»	indicari
» 27	» 17	*inf.*	»	populus
» 30	» 6	*inf.*	»	huc referendis
» 36	» 6		»	oxycomino
» 38	» 12	*inf.*	»	quam
» 50	» 3		»	duabus
» 52	» 1	*inf.*	»	quoque
» 53	» 3		»	eorum quos
» 57	» 9		»	p. 126 Schaef.
» 60	» 7		»	de Isaeo
» 61	» 16		»	*τέχνης*
» 66	» 4		»	fuit
» 67	» 12	*inf.*	»	enchiridiis
» 68	» 9	*inf.*	»	quaestionum
» 78	» 6	*inf.*	»	Varro in V ad Marcellum
» 81	» 4	*inf.*	*lege*	nulla potest
» 85	» 5		»	facinoris
» 85	» 16	sordidi sermonis usum receperit *ci. Vsener*		
» 88	» 1		*lege*	cognoscendam
» 97	» 16		»	quaesitum sit
» 107	» 12		»	restet
» 112	» 13		»	quo ipso Putschius
» 118	» 17		»	clarissimum

INDEX RELLIQVIARVM IN DISPVTATIONE TRACTATARVM

BEROLINI APVD WEIDMANNOS (I. REIMER)

FORMIS CAROLI GEORGI BONNENSIS